paupertatem ferre velletis, quippe egeſtas, uti opus eſt, tolerata, ex S. Chryſoſtomi hom. de divit. ſententia, Martyres facit: *Habet paupertas martyrium ſuum, & egeſtas bene tolerata facit Martyrem.* Mœror, ac triſtitia veſtra parum æqua, & parum religioſa martyrii hujus vobis palmam aufert. Fidelis, qui ad ſuplicii locum traheretur invitus, & qui inter cruciatus non cogitaret Deum, eſſetne martyr? Sin autem odium ſuum contra juſtitiæ miniſtros teſtaretur, illos perhorreſceret, injuriis atque conviciis impeteret, nonne ſe coram Deo nocentem præberet, quin tanquam martyr ob oculos ejus appareret? *P. De la Peſſe ſermone de fideli male patiente.*

Tria crucis genera, & tres patiendi modi.

S. Auguſtini ſententia eſt a pluribus ſæpe uſurpata, cruces omnes, quæ ferri, & omnes, qui crucem ferre poſſunt, in Calvario fuiſſe, ubi ſimul impius, pœnitens, & innocens cruci fuere confixi. Primus damnandus erat, alter abſolvendus, tertius vero damnaturus, & abſoluturus. Quid ſimilius tribus his crucibus? quid tribus hiſce crucifixis diſſimilius? Hi tres homines ſinguli ſuæ cruci ſuffixi nobis exhibent omnes ſtatus, qui complectuntur, quidquid hominum eſt in terra. Statum videlicet peccati, pœnitentiæ, & innocentiæ. Nullus a cruce immunis eſt; agitur ſolum, quomodo crux ſit illi ferenda. Pati non poteſtis, ut olim Jeſus Chriſtus; ille innocens erat, vos autem innocentiæ jacturam feciſtis. Pati non vultis, ut latro nequam, quia in peccato mori non vultis; reliquum igitur eſt, ut bonum immitemini latronem, qui ſua utitur cruce ad paradiſum promerendum. *Idem.*

Quodnam ſit Dei nos affligentis conſilium.

Deus ſupremus Rex noſter, quantumvis penes illum ſit ſupremum rerum omnium imperium, nobis tamen miſericordiæ ſuæ præbere ſtudet teſtimonia, cum de illius ſeveritate conquerimur; noſque cogere vult, ut de illo cogitemus, illum revereamur, illi ſerviamus. Viſne illum tecum agere tanquam Dominum, nullamque tui curam gerere? Tecum aget, quemadmodum olim populo ſuo minitatus eſt; *auferetur zelus meus a te, ne iraſcar amplius.* Nunquam impoſterum teſtatam tibi faciam indignationem meam, non turbabo te effectibus iræ meæ. Avertat Deus terribile hoc malum. Miſer prodige Fili, niſi laborares fame, unquam ne ad patrem tuum reverteris? Æger hic nonne in deſperatis habendus eſſet, ſi nulla ipſi a medico pharmaca propinarentur; atque inconditis cupiditatibus ſuis traderetur? *Medicus ſi ceſſaverit curare, deſperdat.* Deus tua cognoſcit vulnera; ſcit, animam tuam ulceribus eſſe fœdatam; nunquid illi ſuccenſere debes, ſi ad inciſiones devenerit, & quidquid cor tuum corrumpere poteſt, ſecuerit? Severitas illius nonne certiſſimum eſt clementiæ ejuſdem argumentum? *Secaris, quia non deſperaris.* Tribus hiſce momentis, quibus tanto mærore conficeris, atque laboribus opprimeris a te ſubeundis, ut rei domeſticæ conſulas, paupertate coactus mollitiem mortificare, ac luxum imminuere, dic illi, tuum eſt, Domine, poſt ſanctiſſimæ voluntati tuæ libitum fuerit, de rebus omnibus diſponere; ſum in manibus tuis veluti creatura tuis indigna favoribus; ſed quanta hæc gratia eſt, Domine, qua meæ ſtudes incolumitati, meque cogis, ut ſtudeam eidem? Adoro te, & benedico tibi in dolore meo, ac tribulatione. *Idem Pater la Peſſe.*

Adſpectus Crucifixi, & Dei patientis cogitatio noſtris tribulationibus ſolatium debent adferre.

Procul dubio non ibitis inficias, illum melius vicæ hujus mala paſſurum, qui Deum patientem cogitaverit; verum huic ne animus quidem advertitur; mæror, ac triſtitia nos occupant, neque oculos noſtros in Crucifixum conjicimus. Hoc ipſum vobis, Fideles, exprobaturus ſum; voluptates tantum, ac terræ bona, quæ amittitis, cogitatis, ac impatientia veſtra procul amovet ſolatium, quod Dei exemplum poteſt afferre. Ferte igitur ſine ſolatio; hoc meremini; injuſta, & violenta conſilia, quibus rem veſtram augere ſatagitis, furores, in quos hæc vos conjicit ægritudo, detractio, calumnia, odium, quod in lite perſequenda fovetis, vobis erunt ſolatio . . . Haud equidem miror, quod male patientes multum, diuque patiamini. *Idem.*

Quam beati eſſemus, ſi in frequentibus caſibus, quibus opprimimur, in adverſis, quæ bonis hominibus accidunt, & efficiunt, ut fucato juſtitiæ zelo coram Deo lugeamus, quam beati eſſemus, ſi vitæ hujus calamitates non ſolum tanquam peccati effectus, aut veras nocentium pœnas, verum etiam tanquam ſecreta divinæ voluntatis conſilia, quæ inde ſuam elicere novit gloriam, conſideraremus. Fruſtra arbitramur, innocentiam, & tribulationes ſimul eſſe non poſſe. *Ex novis ſermonibus ſuppreſſo nomine auctoris editis, ſermone de tribulationibus pro feria 4. poſt 4. Quadrageſimæ Dominicam.*

Tribulationibus, & adverſis Deus periculum facit virtutis.

Facile eſt ſe virtute præditum putare, cum nulla ingruit calamitas. Qui neque bonorum, neque valetudinis, neque libertatis, neque honoris jacturam metuit, qui commodæ fortunæ ſuavitatibus fruitur, qui conſilia ſua ex animo cedere videt, qui aliquem religionis, ac pietatis ſenſum habet, nec non externum oris habitum ad devotionem compoſitum, ac bona indole ſuffultum, ſe ipſum, & alios fallit. Quilibet, S. Auguſtinus inquit, *requieſcit in domo ſua, in prædiolo ſuo, in ædificio ſuo,* nemini efficit, ac ſemper tranquille iis fruitur, quæ poſſidet; ideoque veram ſe habere virtutem ſibi blanditur, ſed quoties fallitur? Hæc igitur probanda virtus eſt, & tribulatio illius periculum faciet; puta, ægritudo hæc, quam tibi immittet Deus, ſubvertet lectulum, in quo requieſcis: *Univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus.* Pſalm. 40. Tunc innoteſcet, utrum veram habeas in malis tuis patientiam, humilem divinis imperiis ſubmiſſionem: diuturnus bonæ valetudinis uſus te tibi abſcondebat, moribus hic talem te prodet, qualis es. Lis, qua victus fuiſti, incendium, quo domus tua conflagravit, violenti uſurpatoris perſecutio te tibi detegent. Rerum affluentia, & quies tibi ſoporem immiſerant, teque facinaverant; ſed te ex lethargico hoc ſomno paupertas, & calamitas excitabunt. *Idem.*

Diſcrimen inter juſtorum, & improborum tribulationes.

Fidelium animarum via non magis immunis a tribulationibus, & calamitatibus eſt, quam impiorum, non diffiteor; ſed eorum tribulationes procul & natura, & effectibus, & diuturnitate differunt. Differunt natura; aliæ quippe ſunt monita, quæ miſericors Deus tribuit filiis tanquam amantiſſimus pater, aliæ vero ſunt damnationis ſententiæ, quam veluti irritatus judex exercet. Differunt effectibus: tribulationes enim impios proſternunt, indurant, & ad deſperationem adigunt; in bonis vero fidem confirmant, ſpem fovent, charitatem perficiunt. Differunt diuturnitate; in aliis quippe ſunt initia ſupplicii, infernique præludia, in aliis vero uberes conſolationum fontes, & ſemina gloriæ. *Auctor actionum Chriſtianarum, ſermone de electione ſtatus.*

Pro juſtorum bono permittit Deus, ut illos impii perſequantur.

Ad virtutem depurandam, probandam, confirmandam, a ſæculi cogitatione præſervandam, in ſalutis portum deducendam, eamque immortalibus coronis dignam efficiendam, opus eſt, noſtis certaminibus, difficultatibus, humiliationibus, calamitatibus, crucibus, perſecutionibus; opus eſt ergo perſecutoribus ideoque etiam improbis, & improbis vim, & poteſtatem habentibus. Viri boni huic muneri impares eſſent; impiis ergo utitur Deus, quos, S. Auguſtinus ait, facit ſuæ iracundiæ inſtrumenta, ſuæque providentiæ miniſtros. Hos poteſtate replet, atque auctoritate; flagella ſunt in manu illius ad nequiores peccatores puniendos, vel ſaltem virgæ ad filios ſuos corrigendos: *Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe eſt,* inquit Iſaias propheta c. 10. Aſſyrius licet impius, licet infidelis, virga eſt, & baculus furoris mei; verum dic, Domine, dic eſſe quoque tuæ miſericordiæ inſtrumentum. Si impiis uteris, ut bonos percutias, non uteris, ut in illos tuam iracundiam exerceas, ſed ut ſuper eos infinitas miſericordias extendas, eoſque melius ad beatam æternitatem diſponas. *Sermo pro 4. Quadrageſimæ Dominica ſine auctoris nomine editus.*

In omnibus conditionibus ferendum eſt.

Nulla conditio eſt, quæ creaturarum infidelitatem non experiatur; nullus ſtatus a dolore, ac triſtitia immunis, nulla familia, quam inopinatus eventus ſerius, ocyus luctu non repleat, nullus homo, quem mæreor non ſequatur, vel cui non occurrat. Denique terra, quæ tanta cum inæqualitate partitur, quidquid habere poteſt boni, ſuas ubique calamitates effundit, & ad plerorumque mortalium infelicitatem ſatis eſſet tanta hæc diſparitas eorum bonorum, quæ ſinguli eidem debere poſſunt. Verum enim vero quorſum acriter adeo invehimur contra inconſtantiam, paupertatem, & crudelitatem hujus mundi? Nunquid ſperare poſſumus, nos iſtic eſſe poſſe beatos? Nunquid mirum eſt, quod iſtic ferre mala debeamus? Mundum debemus cognoſcere, & niſi cognoverimus illum, quomodo ſpes ulla ſuboriri nobis poteſt futurum, ut ibi diuturnam, tutamque tranquillitatem obtineamus? Quæcunque mundus contineat mala; quibuſcunque laboribus ſimus obnoxii, nulla profecto, ſi Chriſtiani eſſemus, nobis querela excideret. Terra hæc quantumvis triſtis

eſt, nonne locus eſt, ubi æternam nobis felicitatem præparare debemus, ubi acquirere, & exercere debemus virtutes, quarum pretio cœlum comparemus? *Liber cui titulus: Animadverſiones in quædam religionis, Ethicæque argumenta.*

Qui in tribulationibus impatientiaa bripiuntur, Deum injuſtitiæ redarguunt.

Ut de aliquo conqueramur malo, credamus, opus eſt, nos illud injuſte pati. Non detrectamus calamitatem, quam meriti ſumus, vel quæ procedit ab auctoritate, contra quam obniti non licet. Chriſtianus nequit ambigere, vitæ hujus mala Deo vel permittente, vel jubente contingere; hæc ſi parum æqua videntur illi, ſequitur. Deum ab ipſo modicæ æquitatis inſimulari. Cur ait ille impatientia furens, cur tandiu pati cogor? Cur malum meum adeo diuturnum eſt? Cur tot alii ſunt me beatiores? Quaſi diceret, cur in me adeo injuſtus eſt Deus? Deus nihil injuſte facere poteſt; deberet ergo fidelis aliquanto plus habere patientiæ. Qui dicit injuſte patior, quod patior, illum iniquum facit, cujus judicio patitur. *Id.*

Mirum eſſe non debet, quod Deus nos probaturus affligat.

Mirum nonne eſt, quod fidelis, quem probat Deus, ut magnum faciat, conqueratur, quod patitur, quin prævideat, quod ſperare poteſt? Princeps non parcit ſubdito, quem cupit attollere, immo illud difficillimis, impeditiſſimiſque implicat negotiis; illum bellorum caſibus objicit; difficilia ei committit facinora, ubi ſuam requiem, bona, vitamque ipſam prodigere teneatur. Subditos vero proſpiciens honeſtam laborum ſuorum mercedem, magno, gratoque animo obſequitur. Anima ignava! Magnæ fortunæ ſuntne pretium turpis otii, dubiæ fidelitatis, modici laboris? Deus rationem habet conſtantiæ tuæ, tibi non parcit efficere vult, ut fulgeat virtus tua ac illius periculum facere cupit. Pateris, & dic, multumque pateris, ita te Deus diſtinguere, atque attollere cupit; eum tibi præparat locum, ubi in æternum ejus largitatem celebrabis. *Idem.*

Ratio propter quem noſmet divinis ſubmittere debemus imperiis in tribulationibus.

Nihil nos magis divinis ſubmittere poteſt imperiis quam virtus, quæ eos nobis ſenſus inſpirat, quos ſupremæ illius auctoritati, juſtitiæ, & miſericordiæ debemus, Philoſophorum more pati idem eſt, ac noſmet ipſos fallere, & illudere Deo, qui ſaluti noſtræ, omnibuſque caſibus præſtet. Cum ſub illius flagello eum colimus, illi benedicimus; bonitas ſua eumdem nobis debitorem conſtituit. Nos in adverſis relinquens ſubmiſſionem, & amorem noſtrum probare volebat; niſi concuſſa fuit fidelitas noſtra, periculum fecit, ut palam noſtra erga voluntates ejus ſubmiſſio effulgeret: inde ſperare poſſumus ejus obedientiæ mercedem, quæ illius proficit gloriæ. Niſi tranquilla conſtantia noſtra Deo jucunda eſſet futura, ille nobis occaſionem oſtendendi eam non præberet. Certum eorum bonorum, quæ præparat nobis indicium hoc eſt, quod nos illa mereri vult; ſi nihil haberet, quod largiretur, ſineret noſtra nos ſequi ſtudia? nihil expectaret a nobis, & non ab eo nihil expectare poſſemus. *Idem.*

Tribulatio inanes nobis interdicit nugas, efficitque ut de Deo cogitemus.

Qui in bono confirmatus non eſt, vel qui prava habet ſtudia, libere, ac temere ſe ſe iis omnibus abdit, quæ illius cupiditatibus velificantur, cum vitæ commoda, & rerum affluentia ejus ſtudiis favent. Saltem facilius inutilibus immorabitur nugis, quæ illum magis, magiſque a ſalutis ſuæ removent cura; evagabitur, animo inepta dumtaxat verſabit objecta; cor ejus facile in quamcumque partem circumagetur. Nihil in actionibus ejus ſolidum erit, pauca pietatis opera, fructus pœnitentiæ nullus. Tribulatio eum revocat ad cor, illi inanes interdicit nugas, cogitationibus ejus virtutem impertit, voluntatem regit, & animat, ut ille ſua obeat officia. Hominis hujus ideæ, & motus ſunt tanquam anguſto in ſpatio coacti, ubi non aliud, quam quod ſua intereſt vere, intuetur: gratia in nullos obices invenit &c.

Diſcrimen inter bonorũ & impiorum tribulationes.

S. Rex Propheta dicebat Deo: judica me, Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta: plurimus improbam ducentes vitam ipſi impii irrident, & perſequuntur; non tamen eadem ob cauſam propter quam viros bonos. Virtute præditus, qui in ludibrium traducitur, ad Deum confugere poteſt, ac dicere illi, ut David, judica cauſam meam, Deus, & cogita, quod propter te impii me perſequuntur. Si in eorum partes concedere vellem, ſi in eorum artes, ac ſenſus tranſitem, ſi libidinum ſuarum me ſocium adderem, in pretio, & honore ab illis haberet, qui per ſummam indignitatem me probris, & conviciis afficiunt; cordatus homo, rectique ſenſus exiſtimaret, omniaque conſilia, & verba mea plauſibus exciperentur. Sed quoniam tibi me adhærère profiteor, ideo me contemnunt, perſequuntur, irrident &c. Sed magna gloria eſt, o Deus, pro gloria tua pati, & omne tuæ crucis opprobrium inani mundi hujus exiſtimationi cenſeo toto cœlo, eſſe anteferendum. *P. Craſſet, tomo 1. de fide victrici.*

Confilium Deo in tribulationibus noſtris.

Deus, qui eos punit, quos in filiorum ſuorum numero excipit, in hominum vita, præſertim vero in vita fidelium bona malis commiſcet, & alia aliis temperat; ne illos proſpera attollat fortuna, ſi nimis conſtans extiterit, vel ne adverſa illos obruat, ſi nunquam ceſſaverit. Etenim, ut Sancti Patres animadvertunt difficilius eſt proſperam ferre, quam adverſam, & illius nitorem alterius pondere eſſe magis periculoſum. Experientia docti ſæpe vidimus, eos, qui in tribulatione ſapientes viſi ruere, ubi Dei ope inde evaſerunt, ſapientes eſſe deſiiſſe, atque finem tribulationis eorum factum fuiſſe lapſus initium. *Liber, cui titulus: Vita Prophetarum.*

Tribulationes noſtrummet cognationem nobis tradunt.

Hujuſmodi tentationes vere lydii lapides ſunt, per quos noſmet ipſos cognoſcere poſſumus; cumque vir bonus per illas fuerit traductus, Deo gratias agere debet inde quidem, quod ſibi adeo præclaram præbuerit occaſionem muneris ſui obeundi; hinc vero quod ſibi certanti tulerit opem. Adorandæ quoque ſunt viæ ſapientiæ, & providentiæ divinæ erga filios, eo quod validas haſce tentationes adhibeat ad magis, magiſque in animabus ipſorum electionis ſuæ confirmandam veritatem. Homines ſuos habent fines; Deus vero permittens illis, ut ſecundum intentionem ſuam operentur, eorum utitur miniſterio, ut prorſus oppoſitum ab eo, quod ipſi cogitant, evenias. *Liber, cui titulus: Examen ſuimet ipſius.*

Adverſitas varios habet in mortalibus effectus.

Hominum plerique in tribulationibus ſuis, ut plurimum, operantur vel ſecundum ingenium, vel ſecundum habitum ſuum. Si ferox eſt, ac furens hominis ingenium, illum tribulatio irritas; in Deum ſuccenſet, in homines furit, de providentia conqueritur; ſinu acerbiſſimi doloris ſenſus fovet, ultionem minitatur. Si paulo moderatus ingenium eſt, humana conſectatur auxilia, ut aliquod malo ſuo remedium inveniat, unice in id omnia prudentiæ ſuæ lumina impendit. Sin timidus eſt, triſtitia conficitur, & in quibus erumpit, atque in dolore, & lacrymis ſuam inquirit ſolatium. Si Stoicus, ferocem quandam præſefert duritiem, atque in ſeipſo quandam efformare ſtudet ſtupiditatem, itaut bonum, malum nullo habeat in diſcrimine. Si chriſtianæ religionis principia aliquam in illo vim obtinuere, ſe ſe ad orationem convertit, ſed illam urget, ut a præſenti periculo liberetur, non quod læſi numinis ipſum pœniteat, & doleat eo, quod hæc divinæ indignationis indicia meruerit. Hi minime ſunt veræ pietatis characteres. Fidelis enim in afflictionibus ſentiens malum, quo premitur, illud ſtatim conſiderat veluti manifeſtum divinæ in ſe iracundiæ argumentum; & mox animum advertens ad propria ſcelera, & cœleſtem gratiarum abuſum, dum illis perfrueretur, ſe ipſum damnat, ſupplicium hoc ſe meritum fuiſſe fatetur. *Idem.*

Viva requiritur fidei, ut patienter mala ſuſtineamus.

Viva, & firma fides illi neceſſaria eſt, qui ſuſtinet cum patientia: & ſane niſi evangelicas veritates conſtanter crederemus, nobiſne perſuadere poſſemus, beatos eſſe qui lugent, & qui perſecutionem patiuntur? Niſi in æternas veritates mentis aciem intenderemus, in humilitate, ac dolore gloriam, & voluptatem invenire poſſemus? Videmini profecto, Fideles, parum J. C. præcertis imbuti, cum ignave ſub laborum veſtrorum pondere ceditis. Si plus fidei, plus quoque patientiæ haberetis. *P. la Peſſe ſermone de eorum, qui male patiuntur, jactura.*

Aliqui tribulationibus abutuntur.

At enim, non deſunt, quos tribulationes non ſolum non corrigunt, ſed indurant, & nequiores efficiunt. Hi, non ſecus ac latro nequam, blaſphemias evomunt, ibique ſuam reprobationem conſummant. Ad hæc autem quid reſpondeam, niſi eorum miſerrimam ſortem deflens, ut olim Carthaginenſium infelicitatem deflebat Aug. Amiſiſtis omnem calamitarum veſtrarum fructum, ajebat illis poſt provinciarum eorumdem deſolationem. Miſeri facti eſtis, & non ideo meliores evaſiſtis. Volebat Deus vos vere Chriſtianos efficere vos affligens; vos autem in peccato voſmet indurastis. *P. Cheminais ſerm. de tribulationibus.*

Exemplum, & amor, quo Salvator nos dilexit, nos cogunt, ut pro illó patiamur.

Nonne mirum eſt, amorem, quo JESUS CHRISTUS nos proſecutus eſt, effeciſſe, ut crucem, tribulationes, & humiliationes amplecteretur, quanquam illi opus non eſſet, quanquam illum defecerent, atque magnum, & juge requireretur miraculum, ut iiſdem ſubeundis par fieret. Nonne mirum inquam eſt, amorem, quo J. C. nos proſecutus eſt, eſt effeciſſe, ut hæc omnia perageret; amorem vero, quem nos J. C. debemus, non efficere, ut illius ſequamur exemplum illi ſimiles evadamus, & ſin minus alacri, ut ille, æquo tamen animo amplectamur crucem, tribulationes, & humiliationes, quæ non utiles tantum, verum etiam nobis ſunt neceſſariæ? *P. Nepveu in ſpiritu Chriſtianiſmi.*

ſentimus; nos ſanctificant, cum voluntaria ſubmiſſione illas percipimus: mala ſimul, & remedia, ex natura ſua pœnæ, per patientiam noſtram merita, cauſæ præliorum, & victoriarum, paſſionis, & actionis, cognitionis, & praxeos. Illæ igitur aptiſſimæ ſunt ad cor humanum redigendum, & quicunque reſiſtit, & non afficitur ſuppliciis, quæ Deus ad illum erudiendum, & convertendum immittit, vereor, ne mens illius invictis tenebris involuta ſit, contremiſco, & ſi audeo dicere, de illius ſalute deſpero *Id.*

Fatendum eſt, ubi crucem prorſus ſolam intuemur naturam perhorreſcere, detereri ſenſus, rationem ipſam repugnare; ſed ubi cogitamus J. C. ante nos, & pro nobis crucem tuliſſe, nos vero poſt illum eam ferre; quantumvis parum diligamus illum, tunc natura, ſenſus, & ratio cedunt, immo in objectis, quæ antea tantum terroris incutiebant, illecebras, ac ſuavitatem invenimus. Cogitatio hæc Sanctos omnes in graviſſimis tribulationibus, cruciatibuſque ſuſtinuit; & eadem effecit, ut S. Andreas crucem ardentiſſime exoptaret &c. *Idem.*

Noſmet animi magnitudine in adverſis ſuſtinemus, patientia malorum amaritudinem dulcedine quadam adſpergimus; generoſi viri in ſe ipſis inveniunt, unde graviſſimis malis reſiſtant: verum ubi hæ vires deficiant, certiſſimum remedium eſt, noſmet divinis ſubmittere imperiis, & percutientis manum adorare. *Abbas de Bellegarde in verſione librarum Sapientialium.*

Dei juſtitia hac in vita nobis utilior eſt, quam ejus miſericordia.

Locus hic eſſet juſtitiæ Dei apologiam contexendi & contra ea, quæ vulgo feruntur, illam ſupra ipſius miſericordiæ laudes extollendi. Scio equidem ab illis, qui ejuſdem deſcriptionem exornarunt, exhibitam fuiſſe prorſus terribilem; in manu ejus fulmina, in oculis fulgura, in labiis minas collocata fuiſſe; verum ſi rite ad examen factum revocare voluerimus, liquebit, hanc præ ipſa miſericordia in vita hac eſſe utiliorem; omnia quippe illius ſupplicia vincula ſunt, quæ a peccato quidem nos retrahunt, Deo autem conjungunt, & alligant. Miſericordia ſæpius in ſceleribus homines tenet: ideoque ut jure S. Aug. ait, *eſt miſericordia ſæviens, & miſericordia patiens.* Verum quippe eſt pœnas omnes, quæ terribiles adeo videntur, totidem eſſe adminicula, quæ a divina juſtitia ad noſtram adhibentur utilitatem. Nihil morbo acerbius eſt; videte nihilominus, quomodo divina juſtitia eodem ad noſtram utilitatem utatur. Homo ille bene valens, ac robuſtus ne cogitabat quidem de Deo, voluptatibus ſuis abditus: ſed illum hæc infirmitas excitat. *Auct. Anonym., & recens.*

Tribulationes momentaneæ ſunt cœlum cogitantibus.

Momentaneum & leve tribulationis. Hoc nomine S. Paulus vitæ hujus tribulationes appellat; ſed quomodo momentaneum vocas, quod menſes, integroſque annos perſeverat? Quomodo leve dicis, quod pondere ſuo robuſtiſſimum quemlibet obruit? Momentaneum vocabis flagellum, quod indeſinenter ſævit, quod tandiu ſine miſericordia percutit? Quid hæc pœna, & hæc tribulatio levis tibi videtur, quæ ſine modo urget, ac furit, ut S. Paulus 2. ad Cor. 4. ait: *Super modum gravati ſumus!* Nunquid momentanea, & brevis durationis hæc eſt tribulatio, quæ in omne vitæ ſpatium perdurat? Et hæc prælia, atque certamina levia putabis, quæ ex ſtrenuiſſimorum athletarum, quos jactat eccleſia, corpore ſudorem elicuere? Attamen, Apoſtolus inquit, id omne momentaneum & leve eſt, ſed quibus? *Contemplantibus nobis non quæ videntur, ſed quæ non videntur;* conſiderantibus æternitatem, & remunerationem, quæ has tribulationes ſubſequitur. *Reina.*

Tribulationes medentur malis, quæ proſperitas parit.

Ad medelam afferendum cæcitati. quæ vix, ac ne vix quidem a rebus proſperis ſeparari poteſt, ut olim cæci Tobiæ ocelli felle, & amaritudine liniendi ſunt; videlicet tribulationibus, & ærumnis eſt opus: tunc enim oculos veritati aperies. Cum violenta febris te ad oſſa uſque vorabit, atque in lectulo doloris te deficere intelliges; videbis corpus hoc, cui frequenter adeo animam ipſam ſacrificas, quod tanto luxu tegis, quod tot deliciis, & cupediis nutris, non aliud eſſe, quam fragile vas, quod ad leviſſimum caſum poteſt confringi, atque tandem ex ſe ipſo confringitur. Cum calumnia clanculum inſentata, ac detractiones latenter latæ de eo te deturbabunt gradu, ad quem per ambitionem aſcenderas, & in quo per dolos, & fraudes perſeveras, tandem humanarum dignitatum mobilitatem, nihilumque cognoſces. Cum ætas, vel caſus aliquis inopinatus formam illam fœdaverit, quæ tot tibi admiratores conciliabat, & quam ipſa tu in corde tuo ante alios colebas, nihil aliud quam vanitatem fuiſſe fateberis. Cum vel a cerebroſo derelictus domino, vel ab ignavo, & infideli amico proditus graviſſimas ab illis patieris injurias, quorum præſidium, & protectionem ſperabas, agnoſces in carneo brachio fidendum non eſſe, & ne decipiaris unquam, in uno Deo confidentiam omnem eſſe conſtituendam. *Flechier ſermone de tribulationibus.*

Tribulationes magno ſunt adjumento, ut convertamur.

Tribulationes, & calamitates, quæ nobis accidunt, poſſunt ſimul eſſe inſtrumenta, & cauſæ noſtræ converſionis. Illæ nos excitant ad pœnitentiam; nobis oſtendunt, quam juſtus eſt Deus, ac ſunt primæ victimæ, quæ ad illum placandum offeruntur; nos permovent, cum non ſine naturali repugnantia illas

Patienter ſuſtinentes cognoſcimus, & facimus voluntatem Dei.

Dei voluntas nobis pluribus in rebus ignota eſt; ſcimus potentia illius nos ſervari, providentia nutriri, liberalitate locupletari, juſtitia puniri; verum utrum voluntas ejus nos in viis noſtris deducat, neſcimus: in tribulationibus dumtaxat illam cognoſcere poſſumus. S. Paulus, illud gratiarum prodigium, timet, tunc etiam cum prædicat evangelium, genteſque convertit. Beneficia, quibus illum cumulat Deus, eum inquietum efficiunt; perſecutiones, quas patitur, & infirmitates, quas ſuſtinet, ſolæ ſunt, quæ illum confirment; non latet quippe eas a Dei Voluntate profectas. Cum oramus, cum erogamus eleemoſynas, cum ad ſacramenta accedimus, ignoramus, utrum Dei voluntati pareamus, videlicet utrum Deus alia a nobis pietatis opera, quibus magis ſanctificandi ſimus, præſtoletur: ſed ubi patimur, omnis ambigendi, ac dubitandi nobis aufertur occaſio. Hic pro natura corrupta, & proprio amore ſtatus eſt violentus, cui, quidquid in nobis eſt, obluctatur: Deus unus in eo eſſe jubet. *Ex dictionario morali.*

Perſuaſum nobis eſſe debet tribulationes a Deo proficiſci.

Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti, S. Rex David inquit. Conticui Domine, & ne hiſcere quidem auſus ſum, ut de malis, quibus angebar, conquererer, ſciens ea providentiæ tuæ nutu accidiſſe. Tu mihi amicum, tu filium, tu affinem eripuiſti, tu, quæ mihi dederas, abſtuliſti bona, a manu tua hunc morbum recipio, tu cor meum hoc telo tranſadegiſti, & quidquid a te proficiſcitur, ita mihi accidit perjucundum, ut gaudium, quo afficior hæc a manu tua recipiendi, doloris mihi ſenſum auferat, efficiatque, ut obliviſcar eorum omnium, quæ in tribulatione moleſta, & acerba ſunt, ut me prorſus adorabili tuæ voluntati ſubmittam. *P. du Sault lib. 3. de confidentia in Deum cap. 1.*

Fides in tribulationibus triumphat. Modo omne faſcinum aufert, atque in ictu oculi mundi hujus prætereuntem figuram nobis oſtendit: *Præterit figura hujus mundi;* 1. ad Cor. 7. Modo nobis objicit homines ſua ebrios felicitate deprobabili exitu pereuntes: modo cœlos aperit, nobiſque exhibet coronas pietati ſuſtinenti deſtinatas: modo ob oculos nobis ſtatuit Jeſum exagitatum, patientem, & ſub cruciatuum pondere expirantem, nobiſque oſtendit, quam indecorum eſſet, & turpe, quod Chriſtianus in hoc mundo eſſe vellet beatior ipſo Deo, quem adorat; docet etiam, ſi cum illo paſſi fuerimus, cum eodem in æternum eſſe regnaturos, & non ignominiæ ſolum, verum etiam gloriæ futuros conſortes. *Auctor Recens.*

Deo agendæ ſunt gratiæ in tribulationibus, quas nobis immittit.

Fovere debemus Tobiæ ſenſus: *Benedico te, Deus Iſrael, quia tu caſtigaſti me, & tu ſalvaſti me.* Tob. 11. tribulationis auctor æque ac ſalutis meæ. Hæ duæ ſunt inſignes gratiæ, quas contuliſti mihi; ſine illis in enormia cecidiſſem crimina, at tu me præſervaſti; ſine illis inanes tantum fortaſſe virtutes haberem, ſine illis numquam fortaſſe felix fuiſſem: *Benedico te &c.* Vehementer igitur errat, qui vitæ hujus adverſa vera mala putat, quippe immo ſunt vera bona. *Serm. de tribulation. editus ſine nomine Auctor.*

Si hac in te principia fidei ſecutus fueris, invenies duo; primum quidem, quod quantacunque ſint vitæ hujus mala, nihil ſunt, ubi conferantur cum malis, quæ patraſti, & quæ levia putas: alterum vero, cum minime ſis culpa vacuus, uti fortaſſe arbitrabaris, divinæ plurimum te debere juſtitiæ propter pœnas, quas propter tuam ſalutem infligit. *Non ſunt condignæ paſſiones ad futuram gloriam:* in quæ verba S. Bern. ait; *non ſunt condignæ paſſiones ad præteritam culpam, quæ remittitur, ad præſentem conſolationis gratiam, quæ immittitur, ad futuram beatitudinis gloriam quæ promittitur. Idem.*

Cum animo reputatis vitam, quam olim duxiſtis, eamque cum præſentibus tribulationibus comparatis, nihil aliud facere, vel dicere poteſtis, quam quod olim fratres Joſeph: *Merito hæc patimur, peccavimus enim in fratrem noſtrum.* Gen. 42. Non queruntur, quod iniquius ſecum agatur; non ſuccenſent Deo, quod hoc pacto affligantur; quantumvis culpa vacent ea in re, de qua inſimulantur, non dolent ob injuſtitiam, quæ erga ipſos exercetur: recordantur ſe læſiſſe Deum in perſona fratris ſui, quem omnem huma-

nitatis ſenſum abjicientes in ciſternam conjecerant, & mox Iſraëlitis vendiderant; ac præcedentia ſævitiæ ſuæ recordatio has voces extorquet: *Merito hoc patimur; peccavimus enim in fratrem noſtrum. Idem.*

Per tribulationes Deus nos e mundo divellere vult.

Vult Deus tribulationis mundi hujus contemptum nobis inſpirare. Mundum tunc etiam diligimus, cum ille nos odit, atque perſequitur; quid fieret, ſi large nobis delicias, & voluptates dumtaxat conferret? Scimus, Deum in illo cruces, curas, ſollicitudines, angoreſque poſuiſſe; & nihilominus ab illius amore non ceſſamus, atque illinc egredi nolumus; quid fieret, ſi illic ab omnibus malis immunitas, omniumque bonorum cumulus inveniretur? Aliquid magis efficax, quam theoretica malorum, quæ ibi continentur, cognitio requiritur, ad infringenda vincula, quibus eidem alligamur, & ad ſuperandam illecebram, quæ nos ſeducit. Nequicquam mundi vanitas nobis obtruditur; ipſi etiam de eadem diſertiſſimos ſermones concinnaremus: ſed interim mundum deperimus atque inſolubilibus vinculis eidem hæremus. Perſonalis afflictio majorem habet vim, quam omnes ſermones, atque argumentationes. Morbus doloribus ſuis ſingulis momentis nos docet, mundum pro nobis nil amplius eſſe quantumvis dulcis aliis videatur. Viri principis, qui noſtrum erat præſidium, frigus; amici, qui, ubi illius opera egemus, nos deſerit, perfidia; inſignis bona jactura; dignitatis ablatio, nos a terrenis divellunt, & efficacius perſuadent omnia vanitatem eſſe, ac illuſionem. *Auctor Anonymus.*

Per tribulationes revertimur ad Deum.

Conſcientia in proſperis dormitat, ſed in adverſis expergiſcitur, ac malo ſuo quærit medicinam: & ideo accidit, ut inde ſæpe initium ducat pœnitentia. Huic ſane principio ſuam acceptam refert S. Auguſtinus: *aderas, Domine, miſericorditer ſæviens.* Cum homine terrenis impedito negotiis de animæ ariditate, deque divinæ gratiæ privatione ſermonem injuſte, non movebitur ille, neque efficietur, & fortaſſe chimeras arbitrabitur has omnes Spiritus ſancti dulcedines, atque ſolatia; ſed ubi Deus per tribulationes loquitur, nocens tacet, ſe humiliat, plorat, confugit ad Deum. Itaque cum novus homo ſpiritualibus dumtaxat malis afficiatur, homo vetus temporalibus tantum ærumnis afficitur, & inde ut plurimum converſio illius ducit exordium, hoc ſaltem pacto errorem abjicit inanium idearum magnitudinis, quæ nos tandiu faſcinant. *Idem.*

Cogitandum eſt quo animo cruces a Deo immiſſæ recipiantur.

In tribulationibus noſmet ipſos diligenter excutere debemus, ut agnoſcamus, quænam ſint noſtræ affectiones, & ſubmiſſio erga Deum, cum nos in virga ferrea deducit, & explorare, utrum amemus cruces, quas nobis immittit; an tanti illas faciamus, quanti faciendæ ſunt; utrum illas cum ſubmiſſione, & gratiarum actione acceptemus citra murmur, ſine ullius finibus, cum alacritate, & ut Deo placeamus: utrum beatos nos cenſeamus, quod in nobis ſua adimpleat conſilia; an optemus illi voluntatem adeſſe nos conſolandi: utrum credamus ſtatum hunc nobis eſſe utiliſſimum; utrum de illius ſeveritate conqueramur; ac denique utrum ſerio adlaboremus inde eum, quem Deus præſtolatur, fructum percepturi. *Auctor Anonym.*

Rationes, propter quas Deus juſtos affligit.

Tribulatio, S. Iſidorus inquit, ſpecies eſt conſecrationis, quæ nos efficit viventia JESU CHRISTI templa. Viventes hujus templi lapides cæſi eſſe debent, ſculpti, lævigati, ut in loco ſuo ſtatuantur: *Tunſionibus, & preſſuris expoliti lapides,* uti canit eccleſia. Tribulatio ſola chriſtianæ religionis ſpiritu acceptata prodigium hoc operatur, & cœlum juſti conſtantiam in adverſis reſpicit tanquam manifeſtum ſubmiſſionis, fidelitatis, & obedientiæ ejus argumentum. Sibi complacet Deus ex oculis eorum, quos diligit, lacrymas eliciens; cum voluptate eorum ſuſpiria, & gemitus audit; & ideo illos affligit, quidam Propheta inquit, quia zelotypus eſt. Poſſidere vult cor hominis, quantum eſt, diviſionem illius non patitur; cumque vix fieri poſſit, ut aliquis proſperis rebus fruatur, & creatis non adhæreat, quid interim Deus? adverſis utitur, ut olim Babylonicæ fornacis ignibus qui trium puerorum vincula quidem combuſſerunt, corporibus vero pepercerunt. Hoc ipſum tribulationes efficiunt; in hominis corde adeſt aliquod ſecretum vinculum, quo creaturis adhæret: oportet igitur, ut in ignem tribulationis conjiciatur, ubi hæc comburantur vincula, ut integram recipiat libertatem. *In ſpecimine ſermonum pro Domin. tom. pro Dominic. poſt octavam Aſcenſionis.*

Bonorum tribulationes ſæpe occaſiones ſunt querelarum contra Dei providentiam.

Vulgatum eſt ſcandali argumentum hominibus contra Providentiam, videre hanc pati, ut impii probos homines perſequantur. Quot ſunt virtute præditi viri quaſi ærumnarum omnium ſcopus? *Poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam.* Videtis familiam hanc ob nefarii hominis improbitatem everſam? attamen ſancte vivit. Videtis miſerum hominem, qui per omnia tribunalia traducitur, ut ſumptibus conficiatur? Videtis mulierem opibus egenam, filiis onuſtam, cui, quæ ad victum neceſſaria ſunt, deſunt? Cur Deus non ſuſcitat illis patronos, ac protectores? Dei providentia ſopore capta videtur; attamen docet Propheta, eum, qui regit Iſrael, nunquam dormitare. Undenam igitur ſopor iſte? cur juſtus in adverſis derelinqui videtur? Ut mundetur, & a rebus creatis omnino ſeparetur. *Idem.*

Omnia, quæ in hoc mundo accidunt mala, ſunt peccatorum noſtrorum ſupplicia.

Omnia vitæ hujus mala, quocumque accidant modo, nihil aliud vulgo ſunt, quam peccatorum noſtrorum ſupplicia; ita ut dici queant per peccatum in mundo invecta fuiſſe. Alia quoque veritas eſt, illa peccato dumtaxat nutriri, & peccatum ex mundo poſſet expelli, procul inde exhilaret potiſſima eorum malorum pars, quæ ibi ſuſtinentur. Verum quidem eſt, vitæ hujus ærumnas, & infortunia paſſim aliis accepta referri cauſis; & ea, quæ nobis accidunt, cœlo, terræ, tempeſtatum importunitati, mobilitati fortunæ, hominum nequitiæ, & infidelitati deferri. Dicimus: jactura hæc per imprudentiam, vel inſcitiam accidit noſtram, morbus hic immodici laboris effectus eſt, vel motuum, quibus ſeſe ob hanc rem aliquis paulo nimis agitavit; ſed ex S. Chryſoſtomo diſcite, peccatum, ut plurimum, eſſe valetudinis, vitæque carnificem. Itaque omnes occaſiones, quas tanquam infortuniorum noſtrorum cauſas inſimulamus, ut ita dicam; nil aliud ſunt, quam manus, quibus utitur Deus, ut nobis tribulationes immittat in pœnam peccatorum noſtrorum, eorum etiam, quæ nobis remiſſa fuere, ſed quorum pœnitentiam peragere neglexitmus. Patitur quotidie Deus peccatores pertinaces, & qui in vitiis occalluerunt, quin ab illis pœnas repoſcat, quia integram habet æternitatem, Tertullianus ait, qua impiorum ſcelera puniat: *patiens eſt, quia æternus eſt.* Juſtos vero, qui peccatorum ſuorum veniam pœnitentiæ lacrymis obtinuerunt, conſuevit Deus in hac vita punire, ut illos expiet omnino. *P. Gegou in libro, qui inſcribitur, uſus Sacramenti pœnitentiæ.*

Ærumnæ mundum univerſum depopulantur, tribulationes, & infortunia familias replent, audiuntur gemitus, & querelæ, hic, & ille inſimulantur, inter creata propriis laboribus ſolatium, aut medicina aliqua inquiritur; neque videmur noſmet ipſos eſſe malorum noſtrorum artifices, & cauſam illa in nobis gignentem in nobis eſſe, peccatum videlicet. Ita eſt, iterum dico, morbus hic, quo tandiu tot cum doloribus, mœroribuſque elanguiſtis, non aliud fortaſſe eſt, quam pœna libidinum, quarum pœnitentiam agere neglexiſtis; jactura hæc, quæ vos tanta afficit triſtitia, infortunium hoc, quod domum veſtram evertit, non aliud eſt, quam pœna injuſtitiæ, quam patraſtis, & incompoſiti affectus, quo terrena deperitis; mors filii, viri, uxoris, quæ dolore vos conficit, non aliud fuit, quam pœna amoris inordinati, quo illos potius, quam Deum ipſum proſequebamini. Deus ſibimet ſatisfecit manibus ſuis, quarum ictus, & vulnera majorem vobis attulere triſtitiam, quam pœnitentia, quam ad hæc expianda crimina ſuſcipere poteratis. *Id.*

Non omnes magna propter Deum poſſunt operari; ſed hæc pati omnes ſunt.

At enim propter Deum magna conari non poſſumus: verum nonne propter amorem illius, quidquid vobis occurrit, pati poteſtis? Pro hoc impatientiæ, malique ingenii impetu, pro contumelioſis querimoniis nihil laborem, doloremque veſtrum imminuentibus, quis prohibet, ne Prophetæ conſilium ſecuti cor veſtrum peramanter coram illo effundatis, & quin laborem veſtrum intercidatis, illi indeſinenter nuncupetis vota, atque dies integros coram illo traducatis, ſtatus veſtri obeuntes officia? *P. Croiſet in chriſtianis conſiderationibus.*

In familiis quid ferendum non eſt? Mobile, violentum, durumque libidinoſi conjugis ingenium, ſuperba, indocilis, inconſtans vanæ uxoris indoles, filii male nati, invidentis, aut competitoris nequitia, contrarius litis exitus, negotia e ſententia minus fluentia, cruces ſunt ſane graves, verum eſt: ſed cruces ſunt; & quare illas inutiles reddere vultis tanquam tales eas nequaquam intuiti? Moleſtæ huic patientiæ veſtræ exercitationi perfectionem, & fortaſſe veſtram ſalutem atexuit Deus. Cur obluctamini? Alia quævis mortificationis, atque pietatis praxis vobis fortaſſe placeret, ſed parum ſalutaris eſſet: hæc, quæ in præſentiarum gravis adeo videtur vobis, & quam excutere velletis, eadem illa eſt, quam vobis Deus deſtinavit. *Idem.*

Væ illis, qui tribulationibus male abutuntur.

Mortales ita cæci videntur aliquando, ut cum aliqua calamitate, vel tribulatione afficiuntur, quin oculos attollant miſericordem manum, qua percutiuntur, intui-

intuituri, irritentur, atque exardeſcant in illos, quorum miniſterio Deus utitur ad eos puniendos. Sortem ſuam maledictis obruunt, atque in exceſſu furoris; quo repleti ſunt, in querimonias, atque blaſphemias erumpunt. Itaque tantum abeſt, quod propter paternam hanc correctionem pœnitentiæ, & contritionis ſenſus concipiant, ut modus, quo illam recipiunt, rabiei & deſperationis ſenſus illis tantummodo inſpiret. Quod illos innocuos præſtare poteſt, efficit nocentiores, quod illis Dei miſericordiam promereri debebat, in illos magis irritat juſtitiam; & quod illis auxilium, & quaſi ſacrata clavis ad cœlum aperiendum eſſe debebat, ſit veluti inferni præludium. *Liber, cui titulus, Colloquia Abbatis Joannis, & Euſebii presbyteri.*

Cum ſerio peccator convertitur ad Deum, hic tribulationibus eũ probare conſuevit.

Cum vult Deus in anima divinam operari mutationem veteris formæ in novam, graviſſimas adhibet tribulationes, quæ ipſum uſque vitæ fontem pertingunt, ad animam hanc expiandam, atque beata metamorphoſi transformandam. Ideo Pater cœleſtis non conſuevit leviter abluere animam, quam pretioſiſſimis donis vult locupletare, & in qua adeo egregiam mutationem gignere decrevit; ſed illam, ut ita dicam, immergit & præcipitem dat in oceanum amaritudinum, quemadmodum olim in mare conjici juſſit Jonam prophetam, & quemadmodum de ſe ipſo David ait: *Omnia excelſa tua, & fluctus tui ſuper me tranſierunt.* Pſal. 41. Dico igitur, quod potius permitteret Deus, ut centum millia hominum in aliquod diſcrimen adducerentur per occaſionem animæ hujus, quam ad gradum adeo inſignem extulit, & quam peculiari amoris ſui gratia delegit, quam illam huic gloriæ per tribulationes non præpararet; quod potius ad aliquod temporis intervallum tenebras, ac cæcitatem in ſanctos aliquot viros immitteret, ut temerariis, iniquiſque judiciis, quæ in hoc ignorantiæ ſtatu ab illis ferrentur, hoc vas electionis ſibi præpararent. *Ex Taulero capite undecimo Inſtitutionum.*

Spes remunerationis mulcet, quidquid pro Deo patimur.

Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtra, 2. ad Corinth. c. 7. Non miror, S. Auguſtinus ait, quod tot inter tribulationes adeo ſuavibus conſolationibus Paulus perfundatur: *Sciebat, pro quo pateretur.* Venite ergo, ſequitur idem Pater recenti repletus vi, ac novam in ſe fortitudinem oboriri ſentiens: Venite, nos ignominia, & confuſione ſuffundite, torquete, corpora noſtra diſcerpite, & conculcate, illa comburite, & in cinerem redigite; *increpate, torquete, concremate.* Quidquid malorum nobis intuleritis, bonum, quod nobis reſervatum eſt, non exæquabit. In ſtatera hinc quidem quod ſpero, inde vero quid mihi ferendum eſt, ut ſperata conſequar, appendo: *Appendo quod expecto, contra id, quod patior.* Simul hæc comparo, hinc quidem quod credo, inde vero quod ſentio; ac invenio ea, quæ mihi proponit fides, & quæ recepturus ſum, toto cælo præſtare iis, quæ ſunt mihi facienda, aut ferenda. Hæc me cogitante omnia ſternuntur, omnia commoda fiunt, & facilia. *P. Giroust tomo 2. Quadrageſimæ ſermone de ſanctitate Chriſtiana.*

Si verum eſt, quomodo ambigere nefas, æternam felicitatem hac tantum conditione fuiſſe promiſſam, ut patiamur; & hæc eſt clauſula, quam Dei filius inſervit in inſigni eo fœdere, quod pro nobis iniit, antequam de cruce expiraret; quibuſnam rebus inniti poteſt mortalium ſpes, qui nihil magis quam labores, ac tribulationes peroſi jure vocari poſſunt inimici crucis JESU CHRISTI? Quibus rebus innititur ſpes quamplurimorum, qui palam pietatem, virtutemque profitentur, & qui nihil intentatum relinquunt, ut ſe a patiendi neceſſitate diſpenſent? *Liber, cui titulus Dialogi Abbatis Joannis, & Euſebii Presbyteri.*

Qui nihil pati volunt, quo jure cælum ſe putant aſſecuturos?

Quomodonam ignavi Chriſtiani crucifixi præceptoris diſcipuli cœlum acquirent, ſi ad illud lucrandum æternum ſenſibus ſuis inferre debent bellum, Domino in graviſſimis etiam hujus vitæ calamitatibus benedicere, perſecutionem, paupertatem, & mortem pati potius, quam innocentiæ jacturam facere, ſeſe acerrimis objicere doloribus, ſæviſſimiſque cruciatibus, ut fidem, & gratiam tueantur? Vim non habent leviſſimi incommodi perferendi, & patientia, atque mortificatione cælum merebuntur? Patientia, quam a vobis chriſtiana poſcit religio, chriſtiani Auditores, efficere debet, ut de morbis, doloribus, contemptu, contumeliis, paupertate, bonorum jactura, omnibuſque hujus vitæ calamitatibus victoriam referatis; vos autem ne leviſſimum quidem malum, ne momentaneum quidem dolorem ferre poteſtis? Unquamne Sanctorum numero accenſebimini, unquamne Beatorum gloriam aſſequemini? Animumque unquam advertiſtis ad ea verba: *Per multas tribulationes oportet vos intrare in regnum Dei?* Act. 14. *Pater de la Peſſe, ſermone de periculo eorum, qui nihil patiuntur.*

Crux! O crux divini mei præceptoris nunquamne cognoſceris? & omnes te horrebunt ſemper, atque averſabuntur? Attamen tu firmiſſimum es totius ſpei noſtræ præſidium, tibique omnia lumina, omneſque vires noſtras debemus: *Nulla pœna, quanta pœna!* S. Auguſtinus dicebat. Nullam in hoc mundo habere pœnam, proh Superi, quanta pœna eſt! Quæ paſſio nil pati! Neſcio, utrum horum verborum ſenſum aſſequamini: *Nulla pœna, quanta pœna!* Quod ſupplicium eſt, nihil habere, quod ſuſtineamus! Aliquidne ſimile menti veſtræ unquam occurrit? guſtatiſne ſenſum ſtudiis veſtris adeo contrarium? Ingens vero Chriſtiano tormentum eſt, ſine tribulatione vitam traducere. Animæ, quæ Dei timent judicia, & Deum vere diligunt, hoc pacto cogitant; hic eſt Sanctorum ſenſus; at hiccine veſter quoque eſt? Niſi vos per tribulationem excitat Deus, vos procul dubio contemnit, indignoſque cenſet gratiis, quas ſuis amicis concedit. Tribulationes perhorreſcitis, nihilque inauſum relinquitis, ut illas evitetis, fallacem ergo, ſuſpectamque dumtaxat virtutem habetis; ignoratis religionem veſtram, caput veſtrum, veſtram remunerationem; nullo igitur in diſcrimine habetis ſalutis veſtræ negotium; ac non intereſt veſtra in graviſſima flagitia proruere. *Idem.*

Paſſiones Filii Dei ſolatio debent eſſe tribulationibus noſtris.

Patior, dicere debet Chriſtianus, ſed Deus ipſe me docuit pati; poſt Deum patior; Dei patientis exemplum, atque ſocietas ſatis non erunt ad lacrymas abſtergendas, & inhibenda ſuſpiria? Pauper ſum, Salvator quoque fuit pauper: contemptus ſum, derelictus, vexatus; Salvator quoque, & Deus meus hæc omnia pro me paſſus eſt. Langueo in infirmitate; Salvator meus ſanguinem ſub flagellis, ac ſpinis effudit. Redactus ſum ad id, ut dies meos in obſcura caligine meo nomine, ac dignitate digna traducam; at JESUS CHRISTUS nonne potiorem vitæ ſuæ partem in fabri taberna traduxit? Niſi indigni, & crudeles Salvatoris mei cruciatus meos labores leniunt, indignus ſum tanta conſolatione: *Idem.*

Tribulatio eſt via magis efficax, qua utitur Deus ad peccatores convertendos.

Tribulatio malum eſt ſenſibile, perſonale, & præſens, ideoque efficacius alia qualibet re, qua ad peccatores convertendos utitur Deus. Hæc ſpiritum proſternit, & humiliat carne, & carnem ſpiritu; tanquam gladius acutus præcipua ſecat vincula, quæ nos alligant mundo, voluptatem videlicet, & vanitatem; in corde, ſenſibuſque noſtris ſtudia ipſa, quæ nobis ingenita ſunt, oppugnare contendit. Malum perſonale dico; quam enim invenietis vitam, quantumvis illa vobis beata videatur, cui deſint quædam afflictiones, quæ illam minus ſuavem efficientes eamdem magis chriſtianam poſſunt efficere? Singuli ſuam crucis ſpeciem habent, quam gerant, & quæ ſibi, quam aliis, gravior videtur. Miſerorum numerus non mulcet pœnas, quas ſinguli patiuntur, & unuſquiſque vel in ſe, vel in aliis ſatis uberem patiendi materiam nanciſcitur, ut ſe ipſum valeat ſanctificare, & mundi errorem abjicere. Itaque adverſa, & calamitates, quæ accidunt nobis, ſimul eſſe poſſunt converſionis noſtræ effectus, & cauſa. Excitant ad pœnitentiam, immo & pœnitentiæ materia ſunt; nobis oſtendunt, quam juſtus ſit Deus, ac primæ victimæ ſunt, quibus eidem litetur. Nos permovent, cum eas non ſine naturali repugnantia percipimus, nos ſanctificant, cum non ſine voluntaria ſubmiſſione illas ſubimus. Hæc igitur aptiſſima eſt humani cordis convertendi ratio. *Flechier, ſermone de tribulationibus.*

Nihil æque purum eſt, quam Deum ſuis, ut ita dicam, ſumptibus diligere; videlicet cum nos affligit, cum nos humiliat, cum nos in tenebris relinquit, cum divinis ſuis conſolationibus nos privat, cum nos amaritudine replet, cum nobis ſuum lumen abſcondit, cum nos ferme inceſſanter violentis permittit tentationibus oppugnari, quæ nos agitent, ac totam fere animæ noſtræ ſerenitatem perturbent, quamquam ut olim Apoſtoli, dicamus: *Salva nos Domine, perimus*, Matth. 8. Quid purius anima, quæ ſemper eſt in ſtatu ſacrificii, & quæ ne ſolatium quidem in malis, quæ patitur, quærit? *Auctor Anonymus.*

Noſter erga Deum amor nuſquã magis purus eſt, quam in tribulatione.

Quemadmodum ignavia noſtra, ut plurimum vetat, ne pœnas, & mortificationes inquiramus, Dominus per infinitam miſericordiam ſuam eas nobis immittit. Conſilium inire non poſſumus crucis ferendæ; ille hanc nobis imponit, eamque ut Simon Cyrenæus bajulare cogimur: verum inde ne, ut ille, merendi occaſionem aucupamur, illam ultro acceptantes, eamque ſine querela gerentes? Si animus nobis deeſt tribulationibus obviam eundi, eas ſaltem amemas, quæ

quæ a Deo nobis proveniunt; per illas enim, S. Bernardus ait, Dominus judicat, & in hoc mundo punit eos, quos neque judicare, neque punire vult in altero. Ex tribulationibus, & perſecutionibus, quæ accidunt nobis, fructum percipiamus, & quin conqueramur, hanc nobis perſuadere conemur utiliſſimam veritatem, quam ſapiens Judith Bethuliæ populo tradere adnitebatur: Mala, quæ nobis immittit Deus, nequaquam eſſe velut judices ſupplicia, qui nos perdere velit, ſed Patris nos ad frugem revocare cupientis correptiones. *Abbas de Monmorel ſermone pro prima Adventus Dominica.*

Tribulationes, quæ nobis accidunt, habendæ ſunt tamquam Dei beneficia.

Nonne mira cæcitas eſt, tamquam grave malum reſpicere afflictiones, vel temporales calamitates vitæ hujus, perſecutiones, & contumelias, quas pro Deo, ejuſque juſtitiæ gloria patimur, quandoquidem hæ viæ ſunt a Deo conſtitutæ, ut nos ad veram felicitatem ducant? Nonne potius reſpiciendæ ſunt tamquam effectus miſericordiæ ſingularis, tamquam ampliſſima amoris argumenta, quæ ſuis in hoc mundo præbeat, tamquam certiſſimum noſtræ ad gloriam prædeſtinationis characterem, quia nos introducunt in viam, quæ tutius illud adducit. *De la Fonte, ſermone pro ſecunda Adventus Dominica.*

SUPPLEMENTUM.

Deus non affligit juſtos niſi ut probet illos.

SI Deus in ſpeciem cum juſtis uti ſeveritate, eoſque vexare videtur, hoc agit, ut eorum periculum faciat. Id ille paſſim in Scripturis teſtatur, uti conceptis verbis ſignificat hoc eſſe unum ex officiis providentiæ ſuæ; & hac de cauſa permittere flagella ſua incidere in eos, a quibus colitur, magis quam alios, ita ut adverſitas, ac tribulatio in ſacro Textu vulgo tentatio vocatur, cum eodem in ſermone, quod Spiritus Sanctus tentationem appellat, nihil ſit aliud, quam tribulatio. Hoc pulchrum erat, ſolidumque reſponſum, quod diſertiſſimus quidam Chriſtianæ legis Patronus reddebat idololatris, & infidelibus, cum illi exprobrarent ſummam paupertatem, in qua populus fidelis verſabatur; unde arguere contendebant Deum, quem colimus, vel impotentem eſſe, vel immiſericordem. Erratis vehementer, dicebat illis Minutius Felix: *Deus ille noſter, quem colimus, nec non poteſt ſubvenire, nec diſpicit.* Verum quid agit? Nos ſingillatim ad examen vocat. Ad quid autem hoc examen redigitur? ut nos adverſis exploret. *Sed in adverſis unumquemque explorat.* Quaſi juſto diceret Deus: oſtende mihi quod es. Donec felix in terris fuiſti, mihi quidem dixiſti, te velle meum eſſe; ſed tunc teſtimonio tuo fides non erat habenda; dum omnia tibi proſpere evenirent, tuto judicare non poteras, utrius eſſe malles, tui videlicet, an mei. Cum autem modo jactaris adverſis, potes mihi fidei tuæ artham præbere. Si igitur video te in cultu meo perſeverantem, ſi ad aræ meæ pedes te audio eodem fervore profitentem, te mihi fideliter ſemper adhæſurum, tibi credam, & habebo fidem; quia amor hac ratione probatus omni vacat ſuſpicione. *P. Bourdaloue in Dominicali.*

Quorſum tot lacrymas, ſcribebat illuſtri Paulæ S. Hieronymus, quorſum tot dolores? Elige, atque ut confirmeris, alterutram harum animadverſionum tene: Vel bono conſcientiæ tuæ teſtimonio, & quin chriſtianæ officias humilitati temet tamquam juſtam conſideras; atque tunc conſolatio tua eſſe debet, quod Deum perficit virtutem tuam, quod exercet illam, eamque inceſſanter ad ſublimiores gradus attollit; vel præteritorum lapſuum memoria, tuarumque infirmitatum cognitio efficit, ut tamquam nocentem temet intuearis, & in hoc intuitu ad minuendam pœnam, eamque reddendam non ſolum tolerabilem, verum etiam ſuavem, tibi cogitandum eſt, te corrigi a Deo; ab eoque tibi præberi, unde illi modico ſumptu ſatisfacias: *Elige; aut ſancta es, & probaris; aut peccatrix, & emendaris.* Ita Sanctus iſte Doctor Paulum conſolabatur in magna, quam fecerat, rerum ſuarum jactura; & in graviſſimo dolore, quo inde erat effecta: *Aut Sancta es, & probaris; aut peccatrix, & emendaris. Idem.*

Juſti confidẽtia iterari debet in adverſis.

Si Dei Filius in Evangelio dixiſſet, eos, qui ipſum ſequerentur, ejuſque fidem amplecterentur, hoc in mundo immunes fore ab omni calamitate, opibus cumulatos, ac ſemper voluptatibus affluentes: tunc, non inficior, fides noſtra infirmari poſſet ad tot tribulationum, egeſtatum, humiliationum, dolorum adſpectum. Arduum tunc eſſet reſiſtere ſenſibus diffidentiæ, quæ in cordibus aboriretur. Quare? quia me ab ipſo JESU CHRISTO deceptum arbitrarer, & experirer iis oppoſita, quæ mihi fuiſſet pollicitus. Verum ubi conſulo ſacra oracula, quæ ex ipſo Dei Salvatoris ore emanarunt, eaque ad unguem Providentiæ conſilio adimpleri cerno, cum audio adorabilem hunc Magiſtrum palam, & non ambigue dicentem diſcipulis ſuis Joan. 16. *Mundus gaudebit, vos autem contriſtabimini.* Cum illum conceptis verbis prædicentem audio, ipſos humanarum perſecutionum ſcopum futuros, eiſque numerantem cruces, atque contumelias ab illis perferendas, earumque circumſtantias indicantem, atque monendo inferentem, ſe in anteceſſum hæc illis prænunciare, ne ſcandalizentur, ubi iſta contigerint: *Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini*; & ut meminerint, ſe hæc omnia illis prædixiſſe: *Ut cum venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego prædixi vobis*: Cum, inquam, hæc omnia fieri, factaque intueor, cumque mihi ob oculos verſentur apertiſſima, atque præſentiſſima harum rerum exempla, fieri ne poteſt, quominus confidentia mea inſtauretur, atque inde capiat recens omnino incrementum? Ita enim arguendum mihi eſt. Ille ipſe, qui eorum tribulationes, & adverſa portendit, pollicitus quoque eſt, ſe illis regnum ſuum, & in hoc cœleſti regno perfectam beatitudinem daturum. Ille utrobique certiſſimus auctor eſt; non minus certus, cum bonum prænuntiat, quam cum malum portendit, quoniam ſemper æterna veritas eſt. Quemadmodum ergo indeſinenter eventus probavit, & probat quod ille de Electorum ſuorum tribulationibus vaticinatus eſt; æque verum erit, quod illi de gloria ſperandum proponit. Hinc magni Apoſtoli ſententiam ſecutus ajo: patior & ſine querela patior; neque ideo inquietus, ac ſollicitus ſum, ſcio enim, in quo confido, & in quo ſpem meam pono: ſcio, & certus ſum, non ſolum eum mihi præſtare poſſe quidquid pollicitus eſt, ſed etiam id velle, & præſtiturum, quoniam pollicitus eſt. *P. Bourdalove in in Dominicali.*

Infidelibus relinquamus prolixos, diutinoſque hoſce dolores, quibus Religio non moderatur. Cum eorum detrimenta nullo pacto reparari poſſint, triſtitia quoque illorum finibus carere poteſt; cumque nullam habeant ſpem, nullum habent ſolatium. Nos autem, quibus Deus dignatus eſt ſuas revelare veritates, legimus in Scripturis, eſſe tempus plorandi, & modum lacrymarum; ſolem non debere ſuper iram noſtram occidere, neque occidere ſepties ſuper noſtram triſtitiam; & eamdem charitatem, propter quam fidelium mortem dolemus, nobis ſpem facere reſurrectionis eorum, ac invitare nos, ut de ipſorum felicitate lætemur. *Flechier Nemauſenſis Epiſcopus.*

Tribulationes comparari nequeunt cum mercede illis propoſita, qui eaſdem Chriſtiane ſuſtinent.

In terris patimur, verum eſt; ubique cruces germinant; hi ſunt fructus omnium anni temporum; ſub omni cælo creſcunt; nullus ſtatus, conditio nulla iiſdem eſt vacua. Chriſtiana virtus, quæ ſola fons eſt meritorum, & quam, ut videtur, cruces revereri debent, eique parcere, has nutrit, & ſæpe etiam parit. Diceres, neminem illi carere poſſe: pauci ſancti potum ſuum lacrymis non diluerunt. Tribulationes, perſecutiones, humiliationes hæc eſt Sanctorum hæreditas. Hi omnes atri colores ad eorum imaginem exhibendam concurrunt; iiſque adde quidquid Martyres paſſi ſunt, Patibula, eculei, fornaces ardentes, ferreæ ungulæ, *non ſunt condigna*, nullam habent cum propoſita mercede rationem. Neque enim ſolum futura gloria, Sanctorum beatitudo, gaudium Domini, quo poſt hanc vitam abſorbentur, quæ cum pretio, menſura, finibuſque careant, cum præſentis hujus temporis tribulationibus comparari non poſſunt; interior unctio, ſecreta dulcedo, ſpiritualis lætitia, quæ tribulationibus ineſt, & jugum Domini ſuave, & onus ejuſdem efficiunt leve; infiniti ſunt pretii; & minoris æſtimantur quæcumque ad ea promerenda poſſumus pati. *P. Croiſet in anno Chriſtiano.*

Tribulatio juſtum Deo ſimilem facit.

Verum eſt, (Frater mi) ſortem tuam inter homines triſtem eſſe, atque moleſtam, ſed per hanc, ſi ita loqui fas eſt, quanam nota ſignaris? nonne illa, quam geſtare debent electi, quæ diſtinguit illos tamquam electos? Illa Unigeniti Dei, qui Electorum omnium caput eſt, & exemplar? Hoc eſt fidei noſtræ principium, quod cum JESUS CHRISTUS ſit prototypus Prædeſtinatorum, ut cum illo glorificemur, cum eodem ſanctam habere debemus ſimilitudinem. *Quos preſcivit, & predeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui.* At certum eſt JESUM CHRISTUM fuiſſe contemptum, & vexatum in terra. O altitudo divitiarum ſapientiæ Dei! Tiberius regnabat in ſolio, & Dei Filius ejuſdem parebat imperiis. Pilatus ſuprema erat præditus auctoritate; & Dei Filius tamquam nocens ad illius Tribunal rapiebatur. Ita Deus per JESUM CHRISTUM ſalutem hominum operabatur, & ita, mi auditor, operatur per te ipſum, ac perficit ſalutem tuam. Imprimit in te characteres

res filii ſui, in te illius lineamenta, & imaginem exprimit. *Quo præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui. P. Bourdaloue in Dominicali.*

Tribulatio experimentū eſt.

S. Cyprianus conſolaturus fideles in teterrima lue, quæ ipſius ævo omnem ferme vaſtavit Africam: ecquid, dixit illis, de Providentiæ auſteritate conquerimini? Miramini, quod vos Deus cum Ethnicis confundit, quod filios, & inimicos iiſdem afficit plagis? Hoc ille agit, ut veros ſuos filios dignoſcat. Publica deſolatio iſta, publica eſt conquiſitio; & neceſſarium examen ad veram virtutem ſecernendam, & ſcrutandum ſingulorum fidelium animum: *Explorat juſtitiam ſingulorum, mentes humani generis examinat.* Non quod egeat Deus hoc examine; videt enim cordis latebras, & cognoſcit, qui ſui ſunt. Sed ut ſinguli fideles ſemet cognoſcere diſcant; nec quiſpiam decipiatur in ſtatu ſuo, neque in virtute ſua magis, quam opus eſt, confidat, ut ſuas intelligat infirmitates, iiſque curandis det operam: nam heu! quam facile eſt, Auditores mei, ſe ipſum virtute præditum credere in pace, & affluentia! homo nullis impeditus negotiis, ſine dignitatibus, ſine impedimentis, cum uni ſibi vacare debeat, procul ab occaſionibus & cupiditatum ætate, anima tranquilla, bona ſatis opulenta, domus commoda, & præſertim oris habitus ad pietatem compoſitus, atque ipſo naturæ ſubſidio ſuffultus facile aliquem optimum eſſe perſuadent. Cum his naturæ adjumentis, atque fortunæ commodis nihil adeo commune eſt, quam in ſtatu ſuo ſibi complacere, virtuti ſuæ plaudere, & in cubili delicato, ut S. Auguſtinus ait, requieſcere. Sed adverſitatem expectemus; hæc periculum faciet. Improviſa amaritudo omnibus veſtris deliciis permixta, eventus infelix, morbus evertit hunc lectulum, in quo requieſcitis; & hoc eſt opus manus Dei, inquit Doctor idem in ea Prophetæ verba: *Univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus.* Pſal. 40. Tunc quid videtur in animabus adeo tranquillis? ſumma ſenſibilitas in dolore, inaudita in honore, & contemptu ſenſus acrimonia, improviſa in difficultatibus animi dejectio. Hæc vitia omnia, aliaque multo majora latebant in corde, quod ſe fidelem arbitrabatur: proſperitas hæc tegebat, quæ nunc aperit tribulatio. Hæc ſinus explicat, hæc oſtendit, quid revera ſimus, hæc tamquam ignis metallorum mixturam reſolvit: aurum niteſcere facit, paleam abſumit, ceram liquefacit, indurat limum, fidelem publicæ exponit admirationi, & objicit hypocritam contemptui, & irriſioni. *P. de la Rue in Adv.*

Exemplaria ſenſuum in adverſis habendorum.

Quam ſapientes, atque beati ſunt illi, qui ſcientes Dei voluntatem nunquam melius adimpleri, quam cum de manu illius ſumitur calix amaritudinis, quem præparat ſuis, dicunt illi, cum humili, pioque David, ipſum Deum eſſe, ac Dominum! *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* Pſal. 56. Tales quovis tempore ſenſus fuerunt inſignium illorum virorum, quorum tribulationes nobis egregia reliquerunt exempla rectitudinis, & magnitudinis cordis ipſorum. Amittebant bona ſua? Dominus dedit, Dominus abſtulit: ita Sanctus Vir Job loquebatur. Conviciis, & maledictis petebantur? Semei contumelioſa verba non moror: Dei voluntatem ſpecto, qui hoc illi permiſit; ita David ajebat. Arma eorum non ſatis felices exitus obtinebant? Non hoſtes copias has occidione deleverunt, ſed Deus me voluit humiliare; ita cogitabat Joſue. Calumniis licet inſontes afficiebantur? Deus permiſit, ut ſenes iſti contra me falſa dicerent teſtimonia. Ita ſe ipſam conſolabatur Suſanna, *Abbas Boileau in Quadrageſima.*

Hoc non intelligebas, peccator, neque hoc tibi dipatiebaris, cum florentibus bonis fruebare. Procul erat a cogitatione tua Deus hic, qui te bonis cumulabat. Nunc, cum ea tibi ademit, incipis agnoſcere, illum unicum fuiſſe illorum auctorem: præteritam felicitatem tuam inde obortam eſſe, quia illi adhærebas, præſens vero infortunium inde profectum, quia ab eo receſſiſti: *Scito, & vide.* Tamen licet tu illius fueris oblitus, ille tui oblitus non eſt: hi idem ictus, quibus te percutit, argumenta ſunt memoriæ illius, & bonitatis ejuſdem effectus: *Recordatus ſum tui miſerans.* Jerem. 30. Ita recordabatur populi ſui tempore crudelis Antiochi, cum permiſit, ut impius ille tyrannus Judæam univerſam terrore, cœdibuſque repleret. O Fratres mei, dicebat Auctor libri ſecundi Machabeorum, ne vos deterreat lectio tot malorum, quibus placuit Deo nos obruere: hic peculiaris eſt ſuæ erga nos clementiæ effectus. Hanc ipſam gratiam infidelibus populis non concedit. Illos impunes, atque tranquillos in ſuis flagitiis relinquit: non habet virgam, qua in illos animadvertat, eos enim æternis ſupplicis reſervat. Nobis vero miſericordia ipſius, noſtræ attenta ſaluti in vita non parcit, ut requie dignos efficiat in æternitate. *P. de la Rue in Quadrageſima.*

Tribulatio eſt materia gloriæ noſtræ ac meritorum.

Vitæ hujus mala longe alium habent uſum in lege veteri, ac nova. Deus in veteri illa minitabatur, peccatores deterrere: JESUS CHRISTUS in nova illa promittit, ut famulis ſuis gratificetur. Beati eritis, inquit, cum perſecuti vos fuerint homines, voſque calumniis proſciderint. Ad hanc beatitudinis ſpeciem conabantur Apoſtoli mentes fidelium erigere. S. Petrus in ep. ſecunda c. 2. dicebat illis; *Hæc eſt gratia Dei, ſi propter conſcientium ſuſtinet quis triſtitias.* S. Paulus ad Philip. 1. docebat: *Vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolum, ut in illum credatis; ſed etiam ut pro illo patiamini.* Primævi fideles horum verborum vi excitati citra ſtuporem intuebantur ſuarum fortunarum excidium, ſuorumque bonorum jacturam *expectantes beatam ſpem, & adventum magni Dei.* Tit. 2. Alios habebant oculos, quam nos, oculos videlicet Chriſtianos, non prophanos. Cum hiſce chriſtianis oculis inſpicientes tribulationes, in his videbant, primo antidotum certiſſimum contra vitæ mala, ſecundo non ambiguum veræ virtutis experimentum, tertio indubium pignus remunerationis æternæ. Malum, quod tot bona producet, nonne bonum exiſtimandum eſt? *P. de la Rue in adventu.*

Certiſſimum æternæ felicitatis pignus eſt ſemet in terra hac innocuum ſimul, ac tribulationibus affectum intueri. Principium a S. Chryſoſtomo peculiari cura inſtitutum cum Antiocheni publicis malis opprimerentur. Juſtis eſtis, dicebat ille, & vexati eſtis, & ploratis: lætamini potius, & gaudete Fratres: innocentia veſtra mercede vacua, vobis eſt ſublimioris mercedis argumentum. Principium, quod innititur immutabili juſtitiæ Dei, quæ nullum bonum ſine mercede relinquit; & quæ ideo in altera vita remuneratur, quod præmiis non afficit in præſenti, unde ſequitur, juſto conſtanti proſperitate gaudenti timendum eſſe ſaluti ſuæ; juſto autem adverſa fortuna exagitato nihil eſſe trepidandum. Quid enim non timeant juſti ſemper felices? Norunt nonniſi per ſanguinem ſe a JESU CHRISTO ſalvatos eſſe, ab illo diſcipulis ſuis nullam in terris requiem fuiſſe promiſſam; illum numquam niſi de cruce, ac tribulationibus fuiſſe locutum. Nullam in vitæ ſuæ curriculo crucem vident, nihil, quod ſuis votis adverſetur, prolixam ſeriem eventuum, qui ſua vota expuerant. Ubinam ergo eſt tribulatio, & crux hæc neceſſaria! ubi eſt? Quando erumpet? Si in hac vita minime prodit, ergo prodibit in altera. *Idem.*

Impiori infernus in hac vita videtur incipere propter ærumnas, quibus in ſuis flagitiis urgentur.

Impiorum crux æterna eſt; ſed jam nunc graviſſima illis videtur, quamobrem Sapiens damnatos triſtitia hæc verba proferentes inducit: *Laſſati ſumus in via iniquitatis; & per vias duras ambulavimus.* Et ſane ambitionis, impudicitiæ, & avaritiæ viæ nonne duræ ſunt, ac difficiles? Quid unquam durius eſt invidia, odio, diſſenſionibus, quæ neceſſario vitia illa concomitantur? Quid funeſtius fingi poteſt proditionibus, calumniis, rixis, & cœdibus, quæ illa vulgo conſequuntur? Profecto ubi hæ cupiditates rationi dominari cœperunt, eo uſque proceditur, ut qui iiſdem obſequuntur, intuiti omnia conſilia ſua ruere, ac ſuam ſpem in irritum labi, ſe ſe tradant deſperationi, ſibi necem conſiſcant, & cupientes leve malum evitare, in æternam incidant calamitatem. Sed quam utilitatem nefariis hominibus cruces afferre poſſunt? Hæ illis omnino inutiles ſunt; & licet eorum amaritudinem ſentiant, nullum tamen inde fructum percipiunt. Salvatoris jugum omnem ſecum adfert pacem, & tranquillitatem: quid ergo Sathanæ jugum afferre poteſt præter turbam, atque tumultum? Crux Salvatoris ad ſalutem adducit; crux Dæmonis quo, niſi ad damnationem adducet? *Cardin. Bellarminus de ſeptem verbis Jeſu in Cruce.*

Cum anima deſolat eſt, præſentiſſimū mala huic remedium eſt eſt oratio.

Docet fides nos numquam magis eſſe Dei, neque Deum noſtri, quam cum omni humana conſolatione deſtituimur. Deus nobis manum tendit, prout mundus nobis terga vertit; & cum mundus ſua mobilitate, atque injuſtitia evicit, ut nobiſmet perſuaderemus, nihil nobis ultra in eo eſſe confidendum: jam nihil eſt, quod prohibere poſſit, quominus integre, videlicet, ſine ulla diviſione, & exceptione Deo famulemur. *Abbas Trappenſi in Effatis Chriſtianis.*

Quid agit fidelis anima, cum tribulationibus, & deſolatione obruta, videtur a Deo, & ab hominibus derelicta? Mundi Salvatorem imitatur, cum corde ipſius amaritudine ſubmerſo confugit ad Patrem: ad orationem ſe ſe convertit; terrena non quærit ſolatia? confugit ad Deum, illi ſua nuncupat vota, ac ſemet illius ſubjicit voluntati. Oratio hujuſmodi numquam

non

non exauditur. Si Deus petitam negat opem, ſaltem vim tribuit ferendi negationem. Si non vult calicem tranſire, dat ſaltem robur ad illum hauriendum. Nos quidem latet, quid in horto olivarum Dei Filio Angelus dixerit, ſcimus tamen quid Angeli terreni, hoc eſt Miniſtri Domini dicere debeant tribulatis animabus, eas conſolaturi, & confirmaturi. Illis ob oculos debent ſtatuere perferendi neceſſitatem, tentationis utilitatem, mercedem, quæ prælium eſt ſubſecutura, quod fidei conſonum eſt Salvatori Angelum repræſentaſſe; nec non gloriam acquirendam, & hominum ſalutem ab illo per mortem ſuam comparandam. *Recens Auctor.*

Guſtate primum fructus Crucis, & mox judicium feretis, utrum cortici ſit inhærendum; videbitis, utrum verum ſit adverſis ineſſe tantum amaritudinem, utrum qui tribulatur, doloribus, mæroribuſque mancipetur. Qui eos guſtaverunt, felici experimento edocti ſciunt, quam ſuavibus conſolationibus affertæ hujuſmodi amaritudines condiantur. Verum quidem eſt ſenſus tædio affici, naturæ vim inferri, amorem proprium graviſſimo torqueri ſupplicio; & nullo ne habetur in pretio virtus omnipotens, & unctio gratiæ, quæ efficit, ut exquiſita percipiatur voluptas in iis, quæ amorem proprium, & ſenſus avertunt? Nihili fit ſuavis conſolatio deferendi J. C. inſignia, & quod tamquam filius, non autem ſervus haberis? Flocci ducitur certitudo moriendi cum gaudio, & hilaritate ſi vixeris in tribulatione, atque ærumnas, cruceſque tuas ſanctificare ſtudueris? *P. Croiſet in Exerc. Aſceticis.*

Deus mulcet pœnas illorum qui propter illius amorem patiuntur.

Dicere poſſumus in tribulationibus aliquid accidere ſimile illi, quod eveniebat in martyrio Chriſtianorum Hercum, quorum memoriam pia veneratione recolimus. Creditis ne illos expertos fuiſſe omnem doloris acerbitatem, omnem cruciatuum rigorem, omnem judicum crudelitatem? Quiſnam ferre potuiſſet multiplicitatem tormentorum, quæ infernus ad Chriſtianos torquendos excogitavit? Deus, qui permittebat, ut fideles, & ſervi ſui adeo crudeliter plagis afficerentur, noverat illorum ſarcire damna, cruciatuſque mulcere. Videbantur virgines teneræ, delicatæ, provocare tormenta, & inter ſupplicia exultare gaudio. Videbantur mulieres, & ſenes efferri lætitia, & intrinſecus ea affici conſolatione, quæ lenibat ſuppliciorum, quibus corpora eorum torquebantur, acrimoniam. Ethnici quoque hoc ignorantes myſterium obſtupeſcebant, & arti magicæ referebant acceptum id, quod effectus erat gloriæ Redemptoris, & divinæ omnipotentiæ. Verum eſt; habet gratia illecebras ſuas longe alias ab iis, quibus utitur Sathanas. Hoc præter propter iis accidit, qui inter cruces vivunt. Novit Deus earum pondus, & dolores minuere. Dicere poſſumus tribulationes in Chriſtianiſmo in locum perſecutionum, quæ a tyrannis exercebantur, ſucceſſiſſe. Vita crucem geſtantium martyrii ſpecies eſt; ſed non minora in his miracula Deus operatur. Adverſitates non minorem naturæ ſenſibus horrorem cient, quam ignes, & equulei. Sed Deus modo non minorem gerit curam mærentium & afflictorum, quam olim Martyrum. Amemus cruces, & cruces nobis fient ſuaviſſimæ. *Idem.*

Fides ſuſtinet juſtum inter adverſa.

Vir bonus in tribulationibus voti compos eſt, quia illum ſuſtinet fides. Hæc autem illum ſuſtinet aſpectu Dei morientis in cruce. Docet fides illum prædeſtinatum eſſe non poſſe, niſi JESU CHRISTO crucifixo ſimilis fuerit. Homini deerat animus adnitendi, ut hanc ſibi ſimilitudinem compararet. In tribulatione, & per tribulationem videt, Deum ipſum operari, ut per tribulationes in ipſo filii ſui crucifixi imaginem formet. Quid hoc majori eſſe poteſt ſolatio? Illum ſuſtinet fides intuitu Dei juſti; ſcit illius juſtitiæ ſatisfaciendum eſſe: beatum ſe putat in occaſione, quam illi præbet Deus brevibus, levibuſque pœnis redimendi pœnas ſeveritate, ac diuturnitate infinitas, quæ illis fuiſſent alioquin ſubeundæ. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitat.*

Utilitas, quam nobis tribulationes procurant.

Quidquid agas; proſpera in terris cœli adſpectum eripiunt: quod ſi quando illius reminiſcimur, hoc nonniſi aliquo cum tumultu contingit. Ubi vero adverſa has omnes illecebras, quibus mundo huic inhæremus, expulerunt; cum noſmet in Mundo miſeros intuemur, cum in caliginis ſquallore verſamur, cum creata nos oblivioni dederunt, nos quoque facile creatorum obliviſcimur, ut creatoris tantummodo reminiſcamur, & in eo ſpem omnem, & confidentiam conſtituamus, & ecce in quo ſita ſit noſtra requies, atque felicitas. Cruces quidem oneroſæ ſunt, atque terribiles etiam mundi aſſeclæ, viro autem bono ſunt fons ſuaviſſimarum conſolationum; ejuſque fructus ſunt exquiſitæ ſuavitatis. Hinc illa proficiſcitur immutabilis tranquillitas, illa etiam lætitia, quam in S. omnibus admiramur. Nemo eſt, qui in cruce non fuerit; nemo, qui in tribulatione non vixerat; pauci, qui toto ferme vitæ ſuæ curriculo in graviſſimis infirmitatibus non elanguerint. Quot viſi ſunt dies ſuos acutis doloribus confoſſi traducere, quot contempti, contumeliis vexati, humiliati, opprobriis ſaturati? In hoc ſtatu doloribus refertiſſimo vel unus repertus eſt, qui ſe miſerum exiſtimaverit? immo nullus, qui graviora perpeti non concupierit. O quam verum eſt, non deeſſe Deo artem dulcedine quadam adſpergendi omnes adverſitates, & in amariſſimis tribulationibus nobis infinitam voluptatem præbendi! *Guſtate, & videte,* inquit Propheta Pſ. 13 Non ait, videte, & guſtate. Si enim cruces videre inceperis, invenies objectum, quod te avertat; ſed primum guſta: experire felicitatem tribulationum, quæ propter Domini amorem ſuſtinentur, & mox, quamdiu tibi placuerit reſpice externam hanc ſpeciem, quæ terret. *Guſtate, & videte.* Guſtui potius, quam oculis fides habenda eſt. *Idem.*

Nihil prodeſt in nitore, & affluentia natum eſſe: nihil prodeſt eſſe nobilem, & beatum, & vulgi ſententia. Vita crucibus conſita eſt: nemo a tribulationibus immunis eſt: hominis via ſuper terram altioribus, admiſſioribuſque loci plena eſt. Proſperitas eclypſim plena etiam die patitur; nemo mortalis diu fuit beatus. Adverſitates, moroſitates, pœnæ quibuſcumque in ſtatibus, conditionibus, ætatibus ſuboriuntur. Velle illis immunem eſſe, hoc eſt phantaſma conſectari. Beatiſſimus in terra non eſt ille, qui tribulationibus caret; ſed qui ex illis majorem fructum novit percipere. Intereſt igitur hanc ſcientiam obtinere; artem hanc diſce. Quicumque es, ne putes tibi nihil eſſe perferendum: ſed in id incumbe, ut perferas ſicuti Chriſtianum decet virum, & ex omnibus tribulationibus aliquid proficias: illæ, quæ in ſtatu quem ſumus amplexi, in conditione, in qua vivimus, oboriuntur, ſunt utilitate uberiores. Fortunæ jacula inſignem præſtant Chriſtianæ patientiæ materiam. In adverſis Deo benedic, ut olim Job. Negotium illud tibi non accidit e ſententia; judicio victus diſceſſiſti; mors tibi abſtulit filium, conſanguineum, amicum; dic cum Job: *Dominus dedit, Dominus abſtulit;* evenit mihi, quod illi placuit. *Sit nomen Domini benedictum. P. Croiſet ut ſupra.*

Nos JESUS CHRITUS commonuit fore, ut in mundo mortales nos perſequantur; quo inſiſtens principio S. Paulus ait, omnes, qui pie volunt vivere in Chriſto J. magnas paſſuros eſſe non ab hominibus tantum, verum etiam a dæmonibus perſecutiones. Per emphaſim dicebat Job, totam mundi hujus vitam jugem eſſe nexum perſecutionum; cum ergo doles, ſi tribulationibus urgeris eo tempore, quod totum tribulationibus deſtinatum eſt? Gemendum, lugendumque tibi eſſet, ſi tibi eveniret, ut in deliciis, & voluptatibus tranſigeres tempus; quod J. C. dolori, mærori, & mortificationibus deſtinavit. Si iners es, ſi ignavus, ſi languidus, cum arma ſunt ſtringenda, cum opus eſt fortitudine, cum ſtrenue dimicandum eſt; ſi in lata obambulas via, dum auguſtam ſequi juberis quam flenda eſt ſors tua! quid tibi timendum eſt! Profer enim mihi quæſo unum eorum exemplum, qui poſt vitam inertem, mollem, otioſam participes fuerint præmiorum, quæ Deus ſuis electis reſervat. Standum eſt igitur verbis Filii Dei; arctam eſſe vitæ portam auguſtam eſſe viam, quæ illuc adducit, & hanc a paucis inveniri. Liquido patet eum, qui in arcta ſemita eſt, eſſe non poſſe in latitudine. *Ex D. Chryſoſtomo.*

Tribulatio prædeſtinationis indicium.

Vitæ hujus tribulationes ſecum geſtant characterem prædeſtinationis: quam ob rem S. Gregorius Nazianz. eas *regiam ad cœlum viam* vocat. Quid aptius tribulatione ad convertendum peccatorem, & juſtum in perfectionis viam promovendum, ad illum in officio continendum, prohibendumque, ne virtus langueat, & ad eum communiendum? Errorem abjiciamus. Proſperitas emollit animam, ſenſibuſque ſubjicit. Nihil tam fovet cupiditates, quam ſecundus rerum omnium curſus, & abundantia; hæ palpant quidem, ſed tandem enervant, & virtutem extinguunt. Non humilitas profundas egiſſet radices in corde tuo, niſi Deus tibi calamitatem hanc immiſiſſet? Cuinam debes hunc terrenorum bonorum contemptum, niſi Deo, qui permiſit, ut hanc, vel illam faceres jacturam? Cui inſuperabilem invictamque patientiam, niſi infirmitatibus, quæ tibi mundi faſtidium creant? Si ſuperbia, ſi cupiditas, ſi amor proprius adhuc vigent inter graviſſimas tribulationes, quid tandem fieret, ſi tibi omnia arriderent? *P. Croiſet in Aſceticis Exerc.*

Patiendo certam facimus ſalutem noſtram.

Patiendo certam facimus ſalutem noſtram. Regnare cum JESU CHRISTO non poteſt, qui cum eodem

non

non patitur. Per crucem, ac tribulationes pervenitur ad gloriam. Hæc placita tuta ſunt, neque in dubium revocanda. Cum autem operoſum ſit illa in Chriſtiani corde inſculpere, Dei Filius illa ſæpe iteravit, & perſpicua, ſolidaque ratione docuit. Hæ veritates rite intellectæ in vobis ciere deberent ſenſus lætitiæ cum vos urit tribulatio. Tunc lætamini, & replemini gaudio. Verum ſi vobis tantum animi deeſt, ut cum voluptate in via tribulationum incidere nequeatis, ſi vobis ſaltem tantum fidelitatis, atque conſtantiæ, ut Dei mandatis voſmet ſubjiciatis, ne muſſitetis, cum Pater veſter miſertus veſtri per tribulationes incipit jacere ſalutis æternæ veſtræ fundamenta. Quod minimum facere poteſtis eſt acceptare crucem, & omnem abrumpere querimoniam, ac murmur; voſmet exercere ferendo ſi minus alacriter, ſaltem patienter; teſtari vos non eſſe rebelles filios, ſed dicto parentes, paratoſque ad æqui bonique facienda quæcumque ſibi imperantur a Patre; alioquin dicere non poteſtis vos ſequi J. C., ideoque vos eſſe e numero diſcipulorum illius. *Lambert in Homiliis.*

Nihil prætermittit Deus, ut peccatorem revocet ad officium; invitationes, pollicitationes, probra, minitationes, cum hæc gratiarum genera hominis duritiem non flectunt, alia validiora adhibet, quæ altiorem in illo impreſſionem efficiunt. Propheta Pſ. 37. eas vocat ſagittas, quibus illum Deus confixerat: *Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi.* Sagittæ auſtæ ſunt tribulationes, quas cœlitus immiſerat illi, ut eum in Regem pœnitentem mutaret, mors filii, qui criminis fructus erat, ſtuprum filiæ illatum ab uno filiorum ſuorum, ſuæ etiam mulieres ab inceſtuoſo Abſalone dedecore affectæ, ſubditorum defectio, quos ſanguis ſuus contra ipſum ad rebellionem vocat, jugis malorum ſeries, inter quæ David adorat manum, quæ aggravata eſt ſuper ipſum. *Confirmaſti ſuper me manum tuam*, Ita Princeps hic cœlo adeo charus omnibus ex locis, ubi dolor acerbior eſt, percutitur. Dicendum eſt igitur peccatoris curationem rem eſſe difficillimam. Quanta eſt, Domine, mali ejus magnitudo, ad quod curandum adeo acerba adhibes pharmaca! Heu! tu id noſti. Nobis hoc noſtra cæcitas abſcondit: immo etiam nos proſpera frui credimus valetudine: & hac de cauſa ſumus infirmi, de quorum ſalute actum eſt, niſi vulneribus noſtris admoveatur ferrum, & ignis tribulationum, ut illa ſentiamus. *P. Segneri in Medit.*

Manus Domini nos debet percutere. Illeſcit, quæ tela nos ad ipſum reducere poſſunt.

Cum Deus hominem in hac vita non ideo affligat ut puniat, ſed ut convertat, plagas, quas infligit, metitur pro modulo ingenii noſtri, ac ſenſus, qui fortaſſe vagis, & generalibus ſuppliciis non afficeretur. Per infirmiorem animi noſtri partem nos aggreditur, quin ullam habeat rationem alterius cujuſcumque pœnæ, quam optaremus præ illa, qua in nos animadvertit. Hæc illius manus eſt, non autem noſtra; manus illius miſericordi ſapientia ducta ſeſe extendit in nos, ut nos in erroribus noſtris cohibeat. *Confirmaſti ſuper me manum tuam*, Pſ. 37. Adhibet autem illam juxta noſtram neceſſitatem. Ambitioni, ſuperbiæ, vanitati, confidentiæ in nobis metipſis præparat humiliationes, mollitiei, & carnis immortificationi deſtinat mala corporis, morbos, infirmitates, tædia vitæ, ac voluptatum. Cæci mortales, poſt hæc muſſitatis contra providentiam intentam, ut vos ſecundum malorum veſtrorum naturam excipiat; vos autem, tamquam mortale virus, rejicitis calicem, qui ſalutem veſtram operaturus eſt. Heu! certus eſſet interitus veſter, niſi Dei bonitas ſpectaret tamquam inſipientes, qui neque de morbo, neque de ratione illum curandi conſulendi ſunt. *Idem ibidem.*

Quem effectum obtinuit tribulatio Nabucodonoſor? Conferte utrumque Regis hujus ſtatum in dignitate, & in dejectione. Primum quidem impius eſt, arrogans, crudelis; jubet ſimulacrum ſuum coli, & id facere detrectantes conjici in fornacem ignis ardentis. Ecce peccatorem fortunæ ſuæ fulgore excæcatum. Expectate pauliſper ictum de cœlo advenientem. In terram ſternitur, obſtupeſcit, ad brutorum conditionem, pabulumque redigitur. Elapſis inauditi hujus furoris annis ſeptem, ſeſe colligit, ac ad ſenſum revertitur; quo quinam utitur? Statim ſeſe convertit ad Deum ſincera confeſſione ſupremi ejuſdem imperii. Utique, exclamat, Domine, tu es *Poteſtas ſempiterna, omnes habitatores terræ in nihilum reputati ſunt* coram te, *nec eſt qui reſiſtat manui tuæ*, Dan. 4. Ecce peccatorem ſubmiſſum, & per humilem hanc ſubmiſſionem reverſum in ſe, & ad ſenſum optimum, rectum, & hominis proprium. *In ipſo tempore ſenſus meus reverſus eſt ad me. P. de la Rue in Quadrageſima.*

Deus quidem peccatori præcipit tribulationis remedium, quod mox a creaturis adhibetur.

Non ſemper Medicus per ſe ægrotanti applicat remedia; immo vero hoc perquam raro accidit, cumque illi præcepiſſe ſufficiat, aliis manibus paſſim eum curandum relinquit. Hoc pacto Deus tecum operatur: judicat tribulationem eſſe neceſſariam, ut animæ tuæ malis medeantur; ſed vulgo non ipſe per ſe hanc applicat medicinam, & ut plurimum utitur creaturarum miniſterio. Ita igitur cum tibi aliqua ingruit calamitas, eam debes accipere tamquam a Deo profectam qui præcepit illam, & per hanc procurare vult valetudinem tuam; neque tibi cogitandum eſt, qua manu illi uſus fuerit, ut hoc tibi pharmacum propinaret. Fieri quidem poteſt, ut medici juſſa nonnunquam perperam intelligantur, & perficiantur: ideoque non inutilis cura eſt videre, quibuſnam demandata ſit iſta provincia. Sed quod ad animæ noſtræ curationem præcipit Deus, ad litteram adimpletur, & noſtrarum tribulationum menſura illa ſemper eſt, quam Deus inſtituit, & ægritudinibus noſtris aptavit. *P. Segneri in Medit.*

Reſervat electis ſuis Deus tribulationes, ut eas in ſanctum uſum convertat, & ut inde illi divinam acquirant ſimilitudinem, qua Sancti fiant. Tribulationes ergo, quas nobis immittit Deus, certiſſima ſunt prædeſtinationis noſtræ argumenta. Generatim docet Apoſtolus, debere nos conformes eſſe imagini J. C., ideoque tradit nobis ſine ulla exceptione omnes artes, ac nervos adhibendos, ut ad hanc perveniamus conformitatem; probationes ex parte Dei, contradictiones ab hominibus & prælia, quæ nobis inferunt Angeli tenebrarum, conſtanter has tribulationes ſuſtineamus: præbuit nobis J. C. exemplum, noſtrum eſt illud imitari. *Idem.*

Tribulationes ſunt conſueta ad gloriam via.

Non poterat Deus vulgatiorem nobis ad cœlum acquirendum viam proponere præ tribulationibus. In ſingula occurrunt momenta occaſiones perferendi in vita hac; cruces, ut dicam, nobis fiunt obviæ, quin illas conquirere ſit opus. Magis poſitum in poteſtate noſtra pauperes eſſe, quam locupletari, humiles eſſe, quam honoribus ornari, ſubeſſe, quam præeſſe, mala hujus vitæ perferre, quam illis carere. Conformitas ergo, quam cum patiente JESU a nobis requirit Deus, nobis alia quapiam aptior eſt via, ut cœli gloriam acquiramus. Cæterum ſi felices hujus ſæculi eſſent cum JESU CHRISTO regnaturi, hic non eſſent amplius *primogenitus in multis fratribus*; quam enim cum illo ſimilitudinem homines haberent? Ergo non ſimiles eritis illi gloria, niſi eidem ſimiles in humiliatione fueritis. *Si extra diſciplinam eſtis, cujus participes facti ſunt omnes.* Hebr. 12. non eritis hæreditatis primogeniti participes. *P. Segneri Medit.*

Vulgatiſſimum in Oratione noſtra exercitium eſſe deberet, manu JESU CHRISTI crucifixi imaginem capere. Hanc illa nobis reliquit, ut in ſingula momenta reminiſceremur, hoc eſſe exemplum nobis ad imitandum propoſitum. Eam igitur contemplemur, & videamus, utrum illi ſimus conformes. J. C. nudus in cruce, nos vero ſuperbe, aut ſaltem commode induti. JESUS CRISTUS in doloribus, nos vero in deliciis, J. C. ab omnibus derelictus, nos vero ab omnibus conquiri, omnibuſque mundanis ſocietatibus intereſſe cupientes. JESUS CHRISTUS in opprobriis, nos autem in honoribus. Quodnam diſcrimen! ubi eſt noſtra cum exemplari conformitas. Si minus audeamus nobis metipſis procurare tribulationes, ut illum imitemur; oremus ſaltem, & obteſtemur illum, ut eas nobis immittat. Quid enim eſt petere, ut cum illo regnemus in cœlo? petere eſt, ut ſicut ille, & nos patiamur in terra. *Idem.*

Tribulationes ſunt pignus noſtræ prædeſtinationis.

Quinam fons conſolationis & pacis tribulatio eſt, inter anguſtias pignus habere quodammodo certum ſuæ prædeſtinationis! Sed quænam formidandi cauſa Chriſtianis, qui rerum omnium opulentia gaudent, & vitæ hujus pœnas ignorare videntur? Adoptabitne Deus ſibi in filios effeminatum hoc hominum genus, qui ſua frui ſtudent affluentia, ac in deliciis verſari, nullum cum proprio ejus filio ſimilitudinis lineamentum habentes? *Idem.*

Hic autem immorabimur conſiderantes cum S. Petro Apoſtolo exemplum, quod nobis reliquit Salvator in paſſionibus ſuis: nam licet illuminati, ac redempti, numquam ſalvabimur extra viam, quam J. C. nobis oſtendit: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Petri 2. In hac via ambulandum eſt, ut ille ambulavit. Cur quatuor Evangeliſtæ tanta cura collegerunt omnia lineamenta vitæ patientis C. J.? hac proculdubio de cauſa, ut meditatio exemplorum illius eodem in nobis gigneret effectus, quos in Apoſtolis, qui eorum teſtes fuerunt. Sed quid prodeſt divini hujus prototypi lineamenta nobis ad unguem proponi, ſi in ea aciem dedignamur intendere? Quin in ſacris

libris

libris erudiamur de omnibus circumſtantiis vitæ Salvatoris, ut eam noſtræ regulam conſtituamus, terimus tempus in prophanis lectionibus, quæ nobis vel placita, ſenſuſque contrarios inſpirant, vel ad ſummum inanes, inutileſque nobis tribuunt cognitiones. Si igitur JESU CHRISTI exemplum non ſequimur, ignaviæ tantum noſtræ ſuccenſere debemus. Exemplum illius nobis eſt via ſalutis; ipſe illud nobis reliquit; illud ob oculos noſtros verſatur: noſtrum ſcelus eſt, ſi ab illo diſcedimus. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum. Idem.*

Nobis ferendum eſt exemplo J. C.

Quamvis longe plura paſſus fuerit Salvator, tamen deterrere non debet nos exempli ejuſdem ſequendi neceſſitas. Tertullianus nimia ſeveritate, quæ illum ad ſchiſma, hæreſimque rapiebat, aſſerebat Fidelium tribulationes exæquare debere illas CHRISTI JESU, ſed ne recedamus ab hac re a verbis Apoſtoli: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Non ait, *ut aſſequamini*, ut æquetis gradus illius, quod contendebat Tertullianus; nemo id exequi poſſet; ſed nemo diſpenſatur, quominus Salvatorem ſequatur, *ut ſequamini veſtigia ejus.* Id ne facis, Chriſtiane, an non potius viam ſequeris prorſus oppoſitam illi, quam tibi ſtravit JESUS CHRISTUS? Sequeris ne ejus veſtigia? Doles fortaſſe, quod tibi vires deſint JESUM C. ſecuturo? Quam injuſta hæc querela eſt! infirmitas tua probat, te aſſequi non poſſe JESUM CHRISTUM, qui tamquam Gigas in via tribulationum cucurrit: non probat autem, tibi deeſſe vires, ut illum ſequaris. Hoc unum agitur, ut quantum in te eſt, obſecundes auxiliis, quæ J. C. gratia tibi promueris, & quæ tibi in ſingulos greſſus offert. Non igitur infirmitas, ſed ignavia tua prohibet, ne ſequaris illum. Saltem eminus eum ſequere, ut olim Petrus imbecillus ille, timiduſque diſcipulus, qui pridie Paſſionis ejus ipſum *ſequebatur a longe. P. Segneri Tomo 5. Meditat.*

In Orationis fervore facile eſt conſilium capere ſacrificandi vitam ſuam pro JESU CHRISTO. Tunc neque feræ, neque ferrum, neque ignis videntur ſatis habere virium ad nos deterrendos, & nihilominus levis injuria, quæ infertur, non ferenda videtur nobis. Non eſt, cur velimus mori cum JESU CHRISTO in cruce; quin velimus antea crucem noſtram bajulare, ut ille ſuam uſque ad ſupplicii locum geſtavit! Ponderemus hæc verba: *Tollat crucem ſuam quotidie.* Luc. 23. Indignum eſt diſcipulo Salvatoris trahere, ut ita dicam crucem ſuam. Tollere debet illam, amplecti, alacriter deferre, neque præſtolari donec per vim eadem oneretur, quemadmodum Simon Cyreneus coactus fuit JESU CHRISTI crucem bajulare. Crucis nomine hic quodvis tribulationis genus continetur, ſed utitur hoc nomine Salvator, non autem laborum, tribulationum, adverſitatum, ut omnes haſce pœnas dulcedine quadam perfundat, eas memorans, quas JESUS CHRISTUS in cruce propter amorem noſtrum ſuſtinuit. *Idem.*

Patienter ferendæ ſunt pœnæ ſtatui noſtro inhærentes.

Crux a Salvatoris diſcipulo ferenda, ſua eſt: *Crucem ſuam.* Videmur tamen parati ad qualcumque pœnas perferendas præter eas, quas actu patimur. & quæ noſtro inhærent ſtatui. Meritum nequaquam in eo ſitum eſt, ut ferre cupiamus tribulationes a noſtra profeſſione alienas, ſed eas quæ ab illa ſeparari non poſſunt; videlicet quidquid in officiis noſtris obeundis difficile, & moleſtum occurrit. Religioſi ſtatus crux eſt ſolitudo, ſilentium, paupertas, obedientia. Crux ſtatus eccleſiaſtici eſt cum aſſiduitate, & zelo miniſterii ſui curis perfungi. Crux ſtatus ſæcularis eſt ſexcentis ſæcularibus vacare negotiis, liberorum inſtitutioni, domeſticæ curæ. Debet quivis crucem geſtare ſuam in hac conditionum varietate, quin alienam quærat, vel invideat alienæ: *Tollat crucem ſuam. Idem.*

Sed quandonam crux iſta ferenda eſt? Quotidie. Neque enim eſt ex illis pietatis operibus, quæ ad certum numerum vicium in ſingulos annos, vel menſes, vel hebdomadas coarctata ſunt. Hoc opus eſt pro ſingulis diebus neceſſarium, quoniam quotidie in obeundis noſtri ſtatus officiis nobis occurrunt difficultates. Quomodo vero quotidie crucem ſuam geris? ſi ferventer, & alacriter hinc infers, te non ſolum præſto eſſe, ut JESUM CHRISTUM in ſemitis minus arduis ſequare, ſed etiam ut tamquam perfectus diſcipulus illum comitere ad Calvarium uſque, & ad mortem. *P. Segneri Medit.*

Quænam ſint variæ tribulationum utilitates.

Lætitiam non niſi bonum præſens gignere poteſt. Ecce autem bona, quæ nobis afferunt tribulationes, & quæ nobis cauſa eſſe debent, ut has tamquam perfecti gaudii argumenta ſperare debeamus. Tribulationes nos ſimiles faciunt Salvatori. Nonne Chriſtiano viro glorioſum eſt, ſimilem eſſe Domino ſuo, & poſſe dicere cum Apoſtolo ſe indutum eſſe inſignibus JESU CHRISTI, & portare in corpore ſuo ſtigmata, quibus ſervi illius ſecernuntur? Patientes in hac vita ſatisfacimus debitæ peccatis noſtri pœnæ, quæ alioquin nobis eſſet piacularibus flammis expianda. O quam utilis nobis eſt hæc permutatio, & quantum intercedit diſcrimen inter pretium earum, quas hic ſuſtinemus, & earum, quas poſt mortem paſſuri ſumus! Tribulationes efficiunt, ut nobiſmet ipſis, omnibuſque creatis objectis moriamur. Creaturæ tunc nos contemnentes, & non ſinentes, ut in ſe nihil niſi amaritudinem inveniamus, nos ab ipſarum amore deterrent, noſque, ut ita dicam, propellunt ad Deum. Tribulationes mentem noſtrum illuſtrant, & faciunt, ut aſſequamur dura illa Evangelii placita, quæ beati hujus ſæculi nunquam aſſequuntur. Ita legis antiquæ Tabernaculum interdiu nube denſa tegebatur, quo tempore proſperitas ſignificatur; noctu vero, quod tempus tribulationum ſignificat, ſeptum erat quadam ignis ſpecie, quo refulgebat. Tribulationes efficiunt, ut auſteriſſimas etiam virtutes exerceamus. Ita vitis non uberes fert fructus, niſi potata fuerit; tribulationes excipiunt animam, eamque diſponunt ad perfectam cum Deo conjunctionem. Ita Jacob poſtquam cum Angelo colluctatus fuit, Jacob vocatus fuit, cum antea vocaretur Iſrael, hoc eſt, videns Deum. Tribulationes ſunt character prædeſtinatorum, quæ apertiſſimum ſunt amoris argumentum, quo nos perſequitur Deus, & quia non poſſemus apertius illi amorem noſtrum teſtari, niſi propter illum patientes. Denique tribulationes ſunt quidem arrha, & menſura cœleſtium gaudiorum; verum in hac quoque vita quo majores ſunt tribulationes noſtræ, eo accuratius CHRISTUS JESUS eas mulcet affluentia conſolationum: *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra*, quemadmodum Apoſt. v. Cor. 1. loquitur. *Idem.*

Vult S. Petrus, illum, qui quatenus Chriſtianus patitur, non ſolum non erubeſcat, verum etiam *glorificet Deum in die viſitationis.* 1. Petri 2. 12. Evangelica lege jubemur pro illis orare, qui nos perſequuntur, illis benedicere, illos amare, eis benefacere. Hoc agere eſt glorificare Deum. Cum propter juſtitiam ſuſtinemus, ſi iraſcimur in eos, qui nos perſequuntur ſi illos odimus, ſi illis mala imprecamur, ſi Deum obſecramus, ut in illos animadvertat, numquid tamquam Chriſtiani ſuſtinemus? Numquid in viſitatione noſtra Deum glorificamus? Non ita perfecto; numquam enim majorem a ſervis ſuis gloriam poteſt recipere, quam cum illos videt amare humiliantes, lædentes, opprimentes ſe propter ipſum. Sancti Martyres omnes Dominum glorificaverunt: tamen aliqui eorum magis, quam cæteri hoc præſtiterunt; hi autem ſunt, qui inter ipſa tormenta pro tortoribus ſuis deprecati ſunt, qui pro illis miracula impetraverunt, qui illos bonorum ſuorum hæredes reliquerunt, uti S. Cyprianus barbarum illum, qui diſtricto gladio ad caput ipſius amputandum properabat. *Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum.* Rom. 12. Tunc non ſolum glorificabitis Deum, quod quilibet Chriſtianus facere tenetur, non erubeſcentes, quatenus tales pati; ſed illum longe præſtantiori modo glorificabitis, de iis etiam benemerentes, a quibus vobis infertur dolor, & contumelia. *P. Segneri.*

Bene patiendi ratio eſt orare Deum ut tribulationes noſtras ſanctificet.

Verus Chriſtianus gloriatur, Domine, neque erubeſcit videri diſcipulus tuus, neque pudet illum ignominiam pati; ac timet, ne illam pati mereatur. Cur non contingit mihi memet ex his lineamentis cognoſcere? Numquid Chriſtianus iſte ſenſu caret injuriarum? non ita: noſti, Domine, imbecillitatem noſtram, neque a nobis exigis ut opprobria minime ſentiamus. Hoc unum a me petis, ut ſentiam opprobria, quin tamen ſuccenſeam, quin erubeſcam, quin conquerar. Cur autem erubeſcam ob mundi cæci, & injuſti contemptum? Quid magis inane, quam mundi gloria? Alioquin vero contemptus iſti, quos quatenus Chriſtianus patior, nonne mihi ſunt fons gloriæ immenſæ, ac duraturæ? Præterea, Domine, docuiſti nos, gloriam illam tibi eſſe jucundiorem, quæ tibi cedit ex tribulationibus, atque humiliationibus ſervorum tuorum. Quæ mihi lætitia, quæ conſolatio ſi in hoc ſtatu meam nanciſcor gloriam, ſimulque te perfectiori ratione glorifico! Multo quidem labore mihi ſtat, te hoc pacto glorificare, & ferre contemptum ſine acrimonia, ſine ſenſu, bona illis procuranti, a quibus afficior contumelia. Per gratiam tuam, Domine, nullo habeam in diſcrimine omnes tribulationes, cum hoc agitur, ut amorem meum tibi teſtatum faciam. *P. Segneri Medit.*

Tribulatio inſtrumentum eſt, quo utitur Deus ut re-